This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600071372Q

CARMINA

CHRISTOPHORI COPPOLA

BIBLIOTHECA BOLLATIANA

NEAPOLI
TYPIS TRAMATER
MDCCCLI.

300. e. 22.

Ad Clarissimum Virum

NICOLAUM LUCINIANUM

IN NEAPOLITANO ARCHIGYMNASIO ELOQUENTIAE

PROFESSOREM

Cum mihi innotuisset, Nicolae Illustrissime, tibi negotium datum ut quae ego latine scripta edere cogitabam, legeres ac sententiam de iis ferres, optime mecum actum existimavi, quod unum te esse hoc tempore pro certo semper habui, qui de iis recte iudicare posses. Ex eorum enim genere tu es, qui a Clarissimo Rosinio educati atque exculti latine a teneris sapere, ac sentire didicerunt. Quare ut te unum fatiscentis latinitatis custodem ac tutorem omnes fatemur, ita ex tuo iudicio aliquam gratiam meis latine scriptis redundare existimavi.

Verum huic meo iudicio non nihil aliqui adversabantur quibus literatorum mores, ac studia explorata sunt; aliquid enim humani nonnunquam eos pati manifestum est; ac non tam facile aliena gloria delectari, ex qua aliquam labem in suam existimationem redundare opinantur. Quod si raro aliorum scriptis favent; imo aliquid etiam limare, ac detrahere invidiose solent, qua ratione fieri poterat, ut tu id mihi largireris, quo maxime indigebam? non enim agebatur ut patereris tantum, atque a reprehensione abstineres; sed illud quaerebatur ut lau-

communicaram mihi in primis curae fuit. Multa diu cogitavi, multa mecum expendi, alios etiam prudentiores consului. Optimum factu videbatur ut eorum nomina proferrentur, quibus cum suo quique anno excellerent iis publice uti contigerit. Verum id ut ineptum, ita et invidiosum videbatur; non enim facile mihi fuisset aliquem praeterire, neque omnes recensere opportunum. Satis igitur sit me haec eos qui ea lecturi sunt, monuisse, quo intelligatur qua cura ac diligentia illi instituti sunt, quibus contigit ad me deduci. Ii vero qui sint, opus non est a me indicari; satis enim se ipsi produnt. Omnes enim scio liberalem aliquam disciplinam amplexos esse quam profitentur; ac in sua quemque sui specimen non dubium dare.

Ex iis autem non paucos esse cognovi qui hoc studium non dimiserunt, ac in arrepto me duce curriculo adhuc perseverare. Eorum autem opera quemadmodum saepe de multis auguratus sum non dubito quin brevi in adspectum proferantur; ac magistrum praecurrisse cum non mirer, quod et ingenio, et studio aliisque quamplurimis superant; tum mihi etiam aliquid gratuler quod meo studio aliquid iis contulerim, per quos literarum decus ac communis vitae fortuna augeatur.

etiam addebam, ut iis quae ipsi ut ut exararant, meum exemplar subjicerem, quo quae errata erant emendarentur: tum erigerentur etiam ingenia, ac paulatim ad exquisitam eam formam assurgerent, quae in classicorum scriptorum operibus est, ad quorum exemplar, quae scriberem quantum in me erat, conformari studebam. Denique quae optima viderentur proferebantur, iis in eruditorum corona recitantibus, qui in elucubrando melius operam navassent: Itaque cum laborem pene omnem mihi susceperim, gloriam cum ipsis communicabam; quod calcar id ingeniis esset, ne desiderent inertia, qua nihil corrumpendis adolescentium moribus infestius, quibus componendis ac ornandis maxime ego e vitae meae ratione adlaborabam.

Id quum consecutus essem iam quiescendum mihi existimavi: neque ultra sollicitum de iis esse oportere, a quibus iam fructum uberrimum me collegisse arbitrabar. Ergo facile eorum memoriam aboleri patiebar; ac si qua forte custodiebam; id fiebat ut iis uti possem si quid forte accideret quo meum ingenium requireretur, aut officium occurreret, cui nihil a me negari posset. Verum ut in lucem haec proferrentur nunquam destiterunt illi ipsi petere, quorum gratia scripta erant. Cum enim non nisi annum in eorum partem excolendam expendissem, omnibus carum erat ea cognoscere, quae aliis annis scripta erant, sive ut aliqua contentione facta, victi ne essent, aut adhuc excellerent, instigerent, sive ut quemadmodum omnes filii familias solent, parentis, a quo alti atque educati sunt reliquam sobolem fraterno quodam amore complecterentur. Verum me nunquam movissent, nisi prudentiorum quorundam voluntas ac studium accessisset, quibus visum est ad adolescentium animos excitandos ac religionis decus tuendum pertinere, si quid latine scriptum proferretur, quo latinae literae non omnino interiisse viderentur; ac satis iis virium inesse ac luminis, quo sacra illustrari ac mores ornari possent.

Verum ne id sine eorum laude fieret, quibuscum antea iam

AUCTOR AD SUA SCRIPTA

ELEGIA I.

Ima tene capsae, nostrae dulcissima mentis
  Progenies: tenui Carmina scripta manu.
Non te lucis amor capiat, nec latior aedes;
  Ponderaque in docto grata jacere sinu.
Haec si conditio miseri, et fortuna parentis;
  Nobilior cultu splendidiore fores.
Cernis ut invisum me taedia saeva sequantur,
  Quamque habitem sedes non mihi certa patet?
At me non memini charo nocuisse sodali;
  Nec falsa innocuis damna tulisse fide.
Nec de spe socium justa exturbasse merentem,
  Nec famam inventis commaculasse dolis.
Quin quaecunque dedit mihi sors, quaeque arte paravi
  Seu sit vicinus sive sit hospes habet,
Pauper, opes quas despexi meliora secutus;
  Munera habet tenuis turba tenella lyrae.
Haec praeter jam nil nisi gratia parva genarum,
  Et faciles oculi, cultaque lingua manent.
Atque haec si quidquam possunt prodesse, dolentes
  Et si quem laedit cura molesta, capit.
Et tamen aversos video me pellere vultus;
  Vitaque nescio quae taedia nostra ciet.
Displicet aspectus; visus contemnor; in ore
  Est vitium, invidiam frons faciesque movent.

Te nostra speras meliorem sorte futuram?
A patre vix soboles discrepat ulla suo.
Non ego dum dederim vitam, lucemque videre,
Rem quoque qua possis pulchrior esse dedi.
Aspice quo cultu incedant, qua veste teguntur
Quae modo qui genuit scripta placere cupit.
Quidquid amat vulgus, quidquid regique ducique
Sit gratum, hoc toto corpore, et ore nitet.
Sunt violae molles, sunt candida lilia, et omnis
Quae per Campanos copia floret agros;
Illa placet numero, lectis haec vocibus, illis
Index dat speciem; haec pagina grata facit.
Ingenium sua sors, sua sunt fortuna parentes;
His si tanta ferunt gratia habenda manet.
Huic viget ingenium, quod dives Daunia nutrit;
Illi Romano vena calore tumet.
Hunc ciet in magno Syren stipata theatro;
Hunc Vulturnus alit messibus, Hirnus aquis.
At mihi pauperie et longo male languida luctu
Deficit in coeca condita vita domo.
Quae vis dura nivis quae fert vis horrida brumae
Quae ciet aestivus, cuncta ferenda, calor.
Nunc quas culpa ferat poenas nunc quanta sub Orco
Damna manent, longa sunt recolenda die.
Interdicta oculis species dulcissima florum;
Sopitos ignes pectoris illa movet.
Et qui corde tument fraenandi lege furores,
Nulla chelis, deerit si furor ille, sonat.
Ergo quae species, qui vultus, blandula proles,
Ut placeas oculis, utque proberis, erit?
Talis eris si per celebres erraveris urbes,
Qualis ab hirpinis rusticus hospes agris.
Ridebit juvenis, cui mos audire sedenti
Quae sonat in magno Musa canora loco.

Ridebit cum magnifico matrona marito
Cui sua Manzonus scripta legenda dedit.
Quae tu qui poteris fastidia ferre, parentis
Si qui corda tenet, regnat in ore pudor?
Atque ego te in magna jactatam cernere turba
Aut temni placida mente videre queam?
Et te depelli, et si perstas verbera ferre;
Occupet ut vacuas ille vel ille manus?
Adspice te paulum et lucis famaeque pudebit,
Et quamquam ipse negem, tute latere voles.
Confectus macie vultus, frons obsita luctu:
Nulla compositum lege nec arte caput.
Ignara urbani moris liberrima ponis
Nulli qua liceat jam penetrare, pedes.
Et si quid subeat quod credas auribus aptum,
Immemor incauto temporis ore refers.
Ah! te nata tene, longas patiare tenebras;
Conditio prohibet si tua luce frui.
Qui te fecit habes luctus, curaeque parentem
Consortem; nullus asperiora tulit.
Sint aliis plausus, sint largae munera dextrae;
Et procerum in magno posse sedere sinu.
Haec tu ne cupias genitor facit ipse; parentem
An tu despicies et seciare doles?
Me sequere o soboles, mea tu certissima rite
Munera, quae nullus tollere possit habes.
Ut te despiciunt alii, sic clauditur aedes
Nostra illis; nostra tolleris una manu.
Te quoties libeat capsa prodire jubebo,
Et teneam amplexu, subjiciamque sinu.
Et tangam digitis, et leni blandior ore;
An tibi grata minus cura parentis erit?
Aspice quae referunt alii queis amplior aula
Gratior; heu quoties quae cupiere dolent!

Nulli tam faciles animi ingeniumque benignum
Ut non cum praebent oscula, dente terant.
Vidi ego Torquati prolem, (quae pulchrior illa?)
Plurima ab immiti verbera ferre manu.
Alterum et in Flacci sobolem saevire flagello
Vidi et Mantoo nata dolere viro.
Cumque Sophocleae prognata simillima proli
Alphierii multa laude per ora volet,
Quam plures audis laudandam jure negare,
Et quanta liceat commaculare nota.
Haec te, nata, putas fugere aut leve ferre putabis?
Aut cum sustineas talia, laude frui?
Ergo me longa percellere, nata, querela
Desine, et in fessum desinis esse fera.
Nescis quaecumque orbis habet, mox cum orbe abitura?
Nonne haec, tu superum sacra ministra, doces?
Non haec spes olim contemnere cuncta parentem
Suasit, et aeternas quaerere jussit opes?
Eja brevis te cura premit, sed magna voluptas
Si qua animum teneant taedia parva, levat.
In flores quot vos estis tunc gratia vertet
Coelestis, capiti serta futura meo.
An vos officium hoc laedit, durumque parenti
Aeternum in sanctis sedibus esse decus?

AD NEAPOLITANAM ACADEMIAM VULGO PONTANIANAM

De linguae latinae excidio eaque instauranda.

ELEGIA II.

O toti dilecta orbi, gentis decus unum
Ausoniae; lumen nobile pausilypi

Turba virum, quos ignoto sub nomine virtus
Distinguit satis, et luce sua decorat;
Te sibi deposcit Siren, te tempore duro
Demeruisse Helicon, Phaebus et ipse velit.
Nam quas haec Musis aetas malesuada Latinis
Nunc affert curas, quantaque bella cient
Stulti homines, ut cum tristi Capitolia casu
Deciderunt, animus non stet et ingenium;
Et penitus Romana ruat labefacta vetustas,
Et vacuam Phaebi res nova sedem habeat,
Nostis et occultis lacrymis tristissima mecum
Fata pii fletis, utque vetus redeat
Phoebus, et ingeniis addant torpentibus ignes
Æqui cum Flacco, Tullius atque Maro,
Optastis; quae cura meo sub pectore quantum
Fixa sit atque animum torqueat, ipsa satis
Hic loquitur, dum dimissis quas blandula Siren
Delicias praebet, sub lare stans tacito,
Aversam mentem revoco et quantum valet aetas
Mobilis, aut capiant ingenia insinuo;
Cumque reluctantem video et sacra dona prementem,
Ut solet effractos navita claviculos,
Aut ut quae longus detriverat usus in agris
Rastra puer temnit villicus, atque abigit.
Te circumspiciens quaero quam pollice monstrem
Exemplum; sed si tu quoque deficias
Arentem quis Parthenopem nunc irrigat humor,
Quis nisi tu bibulos nunc animos reficis?
Scimus ut Aonium rorem, et latices Ascreos
Et tibi Apollineas usque ministrat opes,
Ille tuum decus et Sirenis nobile sidus
Pontanus, quo te jure parente soles
Iactare et facilem semper promittere Phoebum
Ingenio, natis nam favet ille suis.

O prius Euboicas exiccant aequora ripas
Reflua, et arentem roscida limpha sinum
Sebeti pandet, Lucrinoque enatat usto
Piscis, quam siccis ille animis rigeat,
Quem semel amplexo Pontanus foverit, et se
Occulto ingeniis dividat alloquio.
Non ego in exemplum curvatas pondere vites
Proponam, aut foetarum ubera plena boum.
Haec levia, ut foecunda viri mihi pectora fingant
Quem Deus immensa Delius auxit ope.
Qualis luce nova sol matutinus inaurat
Terras, et flammis languida rura fovet:
Quo color, et virtus redeat languentibus herbis
Et repetit cultor pascua pastor oves;
Tale tuum Pontane fuit dulcissime nobis
Nomen, et huic similem Parthenope stupuit:
Cum Scythicis ex speluncis et montibus hirtus
Ripheis veniens miles, ab Ausoniis
Iussit abire focis musas, quas lumine torvo
Terrebat, qualis stat lupus inter oves.
Tu tamen errantes potuisti, magne, sorores
Colligere, et tutum perfugium timidis
Praebere, utque solent Austro cogente vagantes
Saxa coturnices Inarimes petere,
Talis ad Euboicas Musarum examina ripas,
Dum caedes Italum, bellaque dira animos
Exagitant, nec dant trepidas consistere mentes,
Te praebente domum, tutaque tecta, ruunt.
O quos a Stabiis Nereides admirantes,
O quos Inarimes, et Pitechusa sonos
Tunc dederunt, dum Pausilypi super arce locatos
Adspexsere choros, Aonidum atque decus!
Ille tamen vobis discedens, hospita dixit
Sit terra haec Musis, et mora longa choris

Phoebeis ; nec quis discedere cogat inultos,
Et vacet hic Latio tristis ut ante locus,
Vos animam hanc capitis, vobis custodia nostrae
Mentis ; si laudis non tenet ullus amor,
Parthenope moveat genitrix aetasque senescens
Sebeti ; nullis hanc opibus cupidi
Augetis ; si per vos Musa Latina superstes
Hinc canit et grandi fons eat ille sinu
Per tecta atque animos, tantum dein gutture Siren
Pollet, quantum opibus Gallia, classe Ligur.

AD NEAPOLIM

De cultu sanctissimi nominis Iesu

ELEGIA III.

Esse quid hoc dicam? duro quem pectore spernis
Hunc ornas numeris Parthenopea tuis ?
An ludis vates, atque otia quaeris ab arte,
Et redimis vili turpia facta sono ?
Tu modo dicebas: sint libera terga catenis;
Deserat et durum mollia colla jugum.
Non mea servitio tanto, non apta labori
Membra, mihi lenes dant mea fata dies.
Quin me more novo teneam, sic tempora poscunt,
Sive tuo Menphis ; Gallia sive tuo.
Me quoque ferre juvat saturatas murice vestes,
Et vario flavas spargere flore comas.
Et pictas praebere genas praebere lacertos;
Et conjungendas non cohibere manus.

Sic ego nunc placeam quibus est mea grata venustas,
Et sponte oblato munere sorte fruar.
Vos, si queis tanta est molli patientia menti
Per saxa incertos hoc duce ferte pedes.
Haec tu dicebas: stultae nec copia linguae
Defuit; eventus impia facta probant.
Iam te nulla subit speratae cura salutis;
Et gaudes sancto verba dedisse Deo.
Non te sacrae aedes, non te penetralia Divum
Videre adsueta munera ferre manu.
Thure carent aræ, squalent rubigine templa;
Et simulacra diu blatta quieta terit.
At nunc composito fingis pia gaudia vultu,
Et simulas aequa mente probare sonos?
Sed me nil fallit fictae pietatis imago,
Nec tanti partem poenitet esse chori.
Et solitas citharas securo pellimus ictu,
Si modo dura queant flectere corda soni.
Scilicet haec virtus numeris vis illa camoenis,
Ut saxa et sylvas vate canente trahant.
Sic te forte meae capient modulamina linguae,
Pectora ni saxis sint mage dura tibi.
Sed si tale tibi robur quod flectere vates
Non valeat, Jesus quod nequeo ipse, facit.
O quantas habet ille vias artesque movendi
Corda! quis hoc audit nomen et igne caret?
Vidi ego manantem lacrimarum flumine ocellum
Qui siccus patrios perstitit ante rogos.
Flebilibusque alii complebant vocibus auras,
Ipsa quibus visa est mox libitina levis.
Altera diffusos lacerabat moesta capillos,
Nec vis vocis erat, nominis hujus erat
Quid memorem ut subitis exarsit Magdala flammis
Quae septem hospitium manibus ante fuit?

Non comptae valuere comae non aurea colli
Vela pios ictus et prohibere faces.
Ut semel hoc faciles pervenit nomen ad aures,
Et facta est famae pectora ad ima via;
Exiluit; nec jam vitae mihi sordida, dixit
Facta placent; vigeo viribus aucta novis.
Est Deus hic tacito mihi qui fovet igne medullas;
Sentio inadsueta corda flagrare face.
Nec mora, deponit niveo de vertice torques;
Et cingit pressos aspera zona sinus.
Ex illo non hanc vultus decepit amantum;
Et veteres tota mente abiere proci.
Atque errat quocumque novi vestigia amoris
Pressa vocant; tacita sic trahit ille manu.
Utque videt junctis complectens crura lacertis
Oscula dat; lacrymis immadet ille suis.
Nec pudet errantes per mollia colla capillos
Colligere et pexas dissoluisse comas.
Magdala vesanos potuisti ponere amores,
Et nunquam optatis ignibus ante frui?
O utinam te quo deceat flagrare magistra
Urbs igne haec discat, cordaque foeda novet!
Hoc est quod pietas surdis haec nomina jactat
Auribus; atque animos qua licet arte ciet.
Fallor an immitem sirenis carmina mentem
Haec flectent, sacris cedit et illa sonis?
Iam minus audaces attollit ad ardua nisus
Facta, giganteae aemula nequitiae.
Mente nec insana meditatur ut ante timendis
Regibus insidias, excidiumque polo.
Grata quies animos, et pectora comprimit altus
Facta metu dudum Lanquidiora sopor.
Haec si vos sacri potuistis carmine vates,
Astra prius, taceant quam pia plectra, ruent.

AD PHILIPPUM CARACCIOLO

Archiepiscopum Neapolitanum, cum litterariis adolescentium exercitationibus assisteret.

ELEGIA IV.

Ut primum te Parthenopen accedere, praesul
Fama tulit nobis, consilio ut regeres
Rite domum, varios quae casus inter et hostes
Fluctuat ut navis per brevia, et scopulos:
Utque insperato nobis tua purpura fulsit;
Quamvis te tali semper honore domus
Christiadum dignum statuit, quem pectore firmo
Jamdudum pietas consuluit fugere:
O quali Siren renovata, atque excita vultu
Enituit; duris praesulis Inferiis
Iam pridem insolabilibus exercita curis,
Quem fuerat totis usque sequuta animis!
At nulli illa dies expectatissima luxit
Fulgidior, nullus suavius hinc capere
Solamen potuit, quam quae nunc excipit aedes
Illustrata novi luminibus decoris
Cum musis, et quam studia ad sublimia pubem
Informant curae Lojolidum, et pietas.
Scilicet haec gravior vicini mole Vesevi
Quam tumulis ignis praegravat usque novis
Incumbens humeris noctesque diesque fatigat,
Nec dat pectoribus, neve oculis requiem
Dum fluctus hinc, atque illinc, ventique furentes,
Rupes quos Stygio foeta vapore creat,
Circumstant, nec dum solita gravitate per auras
Firmata occurrunt pectora, et Oceanum.

At pietas putat his tutissima stagna patere
Et portum, et facili navigium pelago,
Nunc cum despectam nullo tutore iuventam
Non dedignaris luminibus placidis
Conspicere; atque illa praecingere tempora dextra
Qua coelum timidis terrigenis aperis.
Nam meminit quo te iactas genitore creatum,
Et tua quod finxit corda magisterium.
Nonne suo fovit gremio te Nerius olim?
O omni Divus nectare amabilior!
Quis digno facilem herois nunc carmine finget
Mentem, et quam dulcis fluxerit ore sonus?
Huic aut sub lingua charites latitare putarent,
Aut mellita sinum flumina diluere:
Ergo suaviloquo mollibat pectora labro,
Ut trepidas gentes undique confluere
Adspiceres; quales anates strepitantibus alis
Concurrunt, raucus stridet ubi fluvius;
Aut ubi odora nitent summa violaria sepe
Agminibus longis agglomerantur apes,
Ille sed amoto tendit sua brachia vulgo,
Exclusosque manu sollicita pueros
Accersit timidosque et contrectare verentes
Risu, et roriferis excitat alloquiis.
O quoties rupes turpeja circumseptum
Ordinibus puerorum, o tiberis quoties
Adspexit longo manantem flumine vultum,
Dum regere instabiles, et retinere leves
Nititur, et studia excelsam in puerilia mentem
Mittit! ut oblectent alea nuxque senem,
Aut motu alterno dubiam inclinare tabellam
Cum puero; o Divum digna oculis pietas!
Hunc quod praesul habes penitus sub pectore fixum,
Ore geris totum, et moribus explicitum:

Ut quae Parthenopes mitissima semina gignens
Blanditiarum animo sparserat, et segetem
His cum fomentis, et sacro proluis imbre
Nectare iam manes totus et ambrosia.
Hoc est cur nugas aliquid has esse putaris:
Dignasque aspectu, quas tueare tuo.
Adde tamen pectus, quo stent haec fixa per annos.
Quid tua si tecum gratia nunc abeat,
Proderit? o nullis non objectata periclis
Nostra aetas tanto si caret auxilio.
Hoc erat in votis; haec expectata salutis
Ara diu: ut quoniam improvida follicitar
Pectora Parthenopes, atque Euboicae Sirenes
Et mors, et belli saevus amor trepidas
Deterret Musas, nec dant consistere mentes,
Huic tu perfugium sis statioque rati.

INDUCITUR COLONUS EX OPPIDO VULGO CAPOSICEO DOLENS PRAEDIOLI SUI RUINAM.

Erumpentibus a vesuvio flammis.

ELEGIA V.

Heu pater infelix et coelo invisa Menalcae
Progenies; nulla cura melenda manu!
O si cui pietas miseri lamenta coloni
Audiat, et lacrymis quamlibet addat opem.
Sed quaenam memorem, vel quis tot damna referret?
Non satis ad gemitus hora vel annus erit.
Haud equidem aut subito dejecta cubilia casu,
Non queror immiti prata perusta gelu;

Nec quod pascentes averterit invida vaccas
Dextra, vel errantes abstulit ursus oves.
Haec levia, et miseris damna haud insueta colonis :
Haec cura et facili mitigat arte labor.
At me fatalis subito vis diripit ictu ,
Et jam sum pauper qui modo dives eram.
Non mihi fulgebant nitidi laquearia tecti,
Sternebantque leves stragula picta toros.
Campus erat tritico bonus et felicibus uvis,
Et domus et fessis commoda bobus hara.
Haec spes, haec domini requies, his parvula proles
His Agnes conjux totaque fulta domus.
Quis referet quantos noctesque diesque labores ,
Ne spes infelix fallerit herba, tuli ?
Hic ego quot gignunt campani semina campi .
Mandavi, hic coelebs ornus, et ulmus erat.
Nec deerant flores, et odorae messis aristae ,
Et quae divitibus fertilis hortus alit.
Ipse ego maturo crescentes pollice vites
Composui, et fuerat condere cura novas.
Omnia jam pleno felicis foenore sulci .
Reddiderunt, pingui stat seges alta solo.
Et jam maturis campus flavebat aristis ;
Messis et apposita falce cadebat hami.
Et puer et conjux altos spectabat acervos ;
Area congestas vix capiebat opes.
Populus impositis gemitum sub vitibus aegra
Saepe dabat : nimium verna dolebat onus.
At nunc una dies misero rapit omnia ; flammae
Pabula sunt; domini quae modo census erant.
Quis similes casus vidit, cui saevior unquam
Fortuna, et damno perdita vita pari ?
Diripiunt hostes urbes, vastantque penates ;
Sed licet in vacuas deinde redire domos.

Ut quae Parthenopes mitissima semina gignens
Blanditiarum animo sparserat, et segetem
His cum fomentis, et sacro proluis imbre
Nectare iam manes totus et ambrosia.
Hoc est cur nugas aliquid has esse putaris:
Dignasque aspectu, quas tueare tuo.
Adde tamen pectus, quo stent haec fixa per annos.
Quid tua si tecum gratia nunc abeat,
Proderit? o nullis non objectata periclis
Nostra aetas tanto si caret auxilio.
Hoc erat in votis; haec expectata salutis
Ara diu: ut quoniam improvida follicitar
Pectora Parthenopes, atque Euboicae Sirenes
Et mors, et belli saevus amor trepidas
Deterret Musas, nec dant consistere mentes,
Huic tu perfugium sis statioque rati.

INDUCITUR COLONUS EX OPPIDO VULGO CAPOSICEO DOLENS PRAEDIOLI SUI RUINAM.

Erumpentibus a vesuvio flammis.

ELEGIA V.

Hon pater infelix et coelo invisa Menalcae
Progenies; nulla cura melenda manu!
O si cui pietas miseri lamenta coloni
Audiat, et lacrymis quamlibet addat opem.
Sed quaenam memorem, vel quis tot damna referret?
Non satis ad gemitus hora vel annus erit.
Haud [illegible] aut subito dejecta cubilia casu,
[illegible] inimiti prata perusta gelu;

Ergo vos medio projectos calle videbo
  Ponere et in gelida membra tenella nive.
Aut fieri saevis incustodita molossis
  Pabula vel curru praetereunte teri.
Sed non haec videam; nam quos non perdidit ignis
  Finiet hic annos cura dolorque meos.

POETA NASCITUR

Adolescens queritur, quod ita natus non sit.

ELEGIA VI.

Ergo ego fallaci frangam mea membra labore,
  Et frustra gelida frons mihi rorat aqua?
O mihi dilectae rupes et saxa Cytheri!
  O Pimple votis saepe petita meis!
Nunquam erit, ut Musas inter Phaebumque canentem
  Ducere dulcisonum me videatis opus?
At mihi grande decus, facilis si Musa fuisset
  Fingebam demens; sed renuente Deo.
Cum tuba dat sonitum dixi atque ad carmina turbas
  Cogit; ego docti pars ero prima chori.
Et licet optatum Pindi superare cacumen,
  Et super herbosis sternere membra toris!
Verba canam, procerum quae colligat aure corona;
  Dum circum laudes aemula turba stupet.
Utque ego nunc vates, sic me spectare juventus
  Gaudebit, nostros et celebrare lares.
Consuescam ornato procedere crine per urbem;
  Consuescam laetos dinumerare dies.

Forte aderit genitor, cui dum me dextra coronat
Obvertit vultus invida turba suos.
Illi ego portandas laurus largibor; et ille
Portabit manibus pondera grata suis.
Amplexus mihi quod tribuunt fraterque sororque,
Quas satagit genitrix laeta parare dapes!...
Haec mihi fingebam; sed nunc levis aura favoni
Vota per Icarias haec mea portat aquas.
Hei mihi qualis ero, cum anno redeunte subibit
Hanc aedem ad solitos turba vocata choros!
Aspiciam tumido socios procedere vultu,
Pellere et arguta nablia docta manu.
Atque ego, difficilis quoniam natura negavit
Pectoribusque animos, pectinibusque sonos:
Me condam obscuro, si vis est tanta, recessu,
Et faciles plausus ore tremente sequar.
Quid prodest mihi quod nitido velavit amictu
Terga pater? quid me serica texta juvant?
Adde genas quales superum spectantur in aula:
Adde comas, quae te Phoebe decere queant:
Quid prosunt misero, gelido si pectore sanguis
Languet, et illustrant lumina nulla caput?
Si lenta angusto se volvit lingua palato,
Et vox in tenui gutture rauca sonat?
Ergo non unam crudelem dicere cogor
Fortunam, parvas quod mihi praebet opes.
Quid faciat, si gens avida rapit undique dextra,
Nullaque sunt domino libera rura suo?
Finge velit praebere mihi quodcumque rogaro:
Unde capii? nullus si vacat ense locus?
Attamen et regum fas est sperare coronam,
Et licet ipse olim dicere, dives ero.
Forte erit ut quondam vectabit rheda per urbem
Quem nunc ignotum vulgus ubique premit.

Audaces spes ipsa facit fortuna, virorum
Quae mutat varia fata genusque vice.
At qua spe vanum cautus solabor amorem,
Si mihi natalis non fuit aequa dies?
Hoc erat heu misero quod nil mihi vota precesque
Profuerunt; cum te, Phaebe precabar opem.
Flens mane aversum clamavi ad carmina numen;
Et fugiente die flens quoque vota dedi.
Cumque moraretur, magnae vox missa mineruae.
Voce etiam frustra est illa vocata mea.
Addideram lacrymas; lacrymas sprevere camoenae;
Tum dixi: invitis quaerimus ista Deis.
At tu magna parens, mihi si minus aequa negasti
Ad numeros vires, visque perire situ.
Excute foecundum pectus; nam laeta juventus
Usque tibi, et claudit nulla senecta sinum:
Quot pariunt flores campi; quot porrigit uvas
Vitis: quot concas aequoris unda tegit:
Tot celebrent urbes vates; ne mitior arvis
Dicaris; ne sit gratius urbe nemus.
Tunc ego sim felix licet; et mea laetior aetas;
Si mea grata minus vox, aliena placet.
Talis ero, qualis recubans in margine ripae
Cycnum audit pastor dum canit, ipse rudis.
Carmine laeta auris procerum est, quoque carmine gaudet
Cui sternunt pictos Regia tecta toros.
Carmina cum desunt, desunt decora omnia vitae,
Divum vate carens urbs minus ipsa placet.
Quid reges, quales implent late omnia factis?
Quid qui felici praelia Marte gerunt?
Omnes laude carent; demisso it fama volatu;
Non nisi cum magnis vatibus illa sonat.
Africa Scipiades, prostrataque moenia vidit,
Sed non qui memoret Silius alter adest.

Graeca iterum in Trhacas rabies armavit Achilles;
O ubi Moeonides Moeonidisque tuba?
Ergo age magna parens, si tantis instruis artus
Viribus, ut forti pectore bella gerant:
Da quoque foecundo juvenescere pectore vates,
Ne levis attenuet grandia facta sonus.
Ipse ego tentarem, nisi tu tentare vetasses;
Finxisti dura cum mihi corda manu.
Haec mihi laus aberit, sed ne quoque gloria vatum
Hinc absit, jam tu, quae potes una face.

AUCTOR DE SUO TUMULO IN SUBURBANO NEAPOLITANO SEPULCHRETO.

Ad lectissimum juvenem Carolum Brancia

ELEGIA VII.

Brancia mei dudum pars definita sepulchri est,
Non procul extrema distat ab urbe locus.
Non est composito surgens e marmore turris,
Nec multa in saxis arte cavata specus.
Sed brevis est, quantus capiat mea corpora sulcus.
Rusticus hunc duxit rite Ligone puer.
Hinc atque hinc rarus surgit pro margine cespes:
Cespite et in summo vilior herba viret;
Est prope defossae tumulus congestus arenae.
Haec ubi vespillo condidit, ossa teget.
Hic me mox factum capiet sine luce cadaver:
Tanta monent fati conscia corda mei.

Nec si laeserunt nondum mea tempora cani,
Nullaque arat nostras hispida ruga genas:
Longas crede moras venientem avertere mortem;
Heu venit, et saeva me ferit illa manu!
Iamdudum occultis ardent praecordia flammis!
Uruntur tacita viscera torta lue!
Somnus abest oculis, quem nulla arcessere possim
Voce; nec elanguens ars levat ulla caput.
Bruma rigens gelido adstringit mea membra vapore;
Hunc qui depellat non fovet ossa calor.
Vina ferunt dulcesque epulae, requiesque cibum:
Cura mihi gratas non sinit esse dapes.
Sic nulla mea vita labat lenita vigore:
Et puto supremum quemlibet esse diem.
Aspicis ut squallet tectus ferrugine vultus
Moestaque perpetuus lumina languor habet?
Ah faciant superi ut Domini venientis ad antrum
Tecum iterum celebrem, rustice Mopse, diem!
Quin nec vos videam, o quondam mea cura puelli,
Virginis aethereum tollere laude decus.
Nec mea cum socio praecordia mulcet Arymbas,
Dum canit ut Ditis perculit illa caput.
Crede mihi, cum luna novos impleverit orbes
Me frustra ereptum tecta per ista petis.
Tum tu Brancia tuo persolves rite magistro
Quae mihi non genitrix, nec soror ulla feret.
Accipe, quae manes poscunt, quo munere places:
Sit quodcumque velis, dummodo suadet amor.
Quae pariant flores cum ver provexerit annum,
Quod mea membra tegit, semina conde solo,
At quos Brancia leges, quos possis credere, noris:
Mitte rosas, et quae comere membra solent.
Nec mihi sint tulipae, et depicto cortice calthae,
Nec violam aut cytisi mollia serta velim

Illa mei quicumque exsudat alenda vapore
Corporis ; in nostris ossibus illa vigent ,
At tellus quaecumque velit fert nulla colono
Herbas , nec cuiquam est commoda planta solo.
Haec oleas , haec vina parit , melioribus illa
Fert segetes succis , altera gramen amat.
Nil lene in nostro stat corpore , tabidus artus
Inficit , et tacite deterit ossa calor.
Ut requie mea vita careat , sic acer in extis
Humor et innniti sanguine vena fluit.
Ergo infelici ferrugineos hyacinthos
Crede solo , juxta pallida mirtus erit.
Hos tu , cum pendent calices sua brachia , carpes;
Et quae forte adsunt linea fila ligant.
Tum sacram subeas aedem , cui nomina fecit
Divus , quem morti saeva sagitta dedit.
Illic sublimi fulgens stat pariete imago
Quae magnae pueris Virginis ora refert.
Hos tu compositos iligno in vase locabis
Verba addens , quae tunc farier ipse velim.
Haec tibi Christophorus tuus olim munera mittit
Ingenio lusit qui tibi saepe suo.
Si tibi quae fudit placuerunt vota , nec aris
Obtulit invitus thurea dona tuis :
Ne spernas tibi quae tumulo nunc mittit ab alto
Munera ; namque suo e corpore surgit honos.
Si qua pro tali reddenda est gratia facto ,
Tu si quid doleat , qua potes , aufer ope.

AD AMICUM

De nobilissima virgine neapolitana Francisca a quinque plagis.

ELEGIA VIII.

Saepe a me quaeris, cur alta in sede locato
Non tibi distinguant stemmata multa latus.
Cur non conferti proceres te mane salutant;
Regiaque alta tuo non sit aperta pedi;
Sed teneas tenui de plebe extrema locorum;
Praeterit et medio garrula turba foro.
Aspice Franciscam, cui nunc altaria ponit
Syren, et flexo dat pia thura genu.
Lege ratum est superum, nec fas hanc solvere legem;
Nonnisi per poenas vita beata venit.
Aut sperni multis, aut insanire necesse est;
Nostri non coeunt cum pietate joci:
Hei! mihi quis possit digna describere lingua,
Quo Virgo gemuit pondere, quaeque tulit?
Auctor erat vitae; genitor tamen oderat illam,
Atque suo doluit esse cruore satam.
Quam tamen invitus dederat, finire laborat
Vitam et perpetuis dilacerare malis.
Frusta negat nisi quae multo parat ipsa labore.
Membra tamen languent attenuata fame.
Pressa gemit, sed quae patitur, si prodere tentat
Culpa est, quam poena vindicet ille nova;
Denique quod vinci sentit; quam ferre morantur
Fata, sua tectis ejicit ipse manu.

Frigidulam longis sub fornice stare diebus
Adspicis, et tenebris obsita tecta rigent.
Pro lecto tabula est: lectum non stragula sternunt;
Nullaque defendit culcitra membra gelu.
Sella deest, qua membra locet, tripesque focusque;
Fissilis est paries, deciduaeque fores.
Si ventri fert bella fames, quaerenda labore
Frusta, aut si languet dextra, ferenda fames.
Nullus adit, sperauut proceres e sanquine cretam
Plebejo; plebi taedia vita facit.
Hanc etiam densis amor invidus obruit umbris;
Et pulchram radiis non sinit esse suis.
Dente venenato petit aspera turba, fugacem
Per sylvas cervam, ceu canis acta solet.
Et lamiam dicunt, cui sint commercia noctu
Cum Satana; et rigida funera ferre manu.
Secretum Venere ardentem petiisse cubile
Quo liceat ludo liberiore frui:
Si latitat frans est, si prodit vana voluptas:
Insana est fundens vota, superba silens.
Sed cur haec patitur? quae tanta aut crimina vitae
Aut durum ingenium, foedaque corda lue?
Scilicet oblatos immoto pectore amores
Respuit, et placiti munera magna tori.
Et potuit virgo insignes deponere vestes,
Atque sua crines dissecuisse manu.
Non illi via nota maris, non littus amoenum,
Laetaque nocturnis alta theatra choris.
Sacra placent tantum, templum sibi vindicat unum;
Et qui furtiva vi rapiebat amor.
Nulli saeva nocet, multis sed lacsa pepercit,
Quaeque sibi abstulerit gaudia pauper habet.
Astra fovent animum, gratissima quae fluit astris
Unda, hac qua laeta est, trista corda levat;

Huic infesti animi? multis huic obsita curis
Vita? hanc pauperies dictaque dura premunt?
Ergo vincla licet divini frangere juris,
Si venia est sanctos dente ferire malis.
Si mala tanta premunt Franciscam, ignoscite fasso,
Poenitet angusta me occoluisse domo,
Et calidos cohibere animos, et parcere ludis,
Abstinuisse nocet, nec caruisse juvat.
Arte comas pectam; variabunt ora colores;
Liber eo; socius fur, et adulter erit.
Quo demens agor, et quae mentem insania turbat?
Virgo fidem dictis eripit ipsa meis.
O quae stat vultu species quae fronte venustas!
Quanta oculos ornat gratia, quanta genas!
Non mihi vernantes aprico in gramine flores
Quis jactet; stellis aemula tota micat.
Salve Virginei flos o pulcherrime coetus,
Te teneam obtutu semper, et ore colam.
At tu parthenope, si per te tristia quondam
Illa tulit, studio damna repende novo.
Illa tua est; tantae tibi cedit gloria vitae;
Aucta per hanc magno nuper honore nites.
Iam non Virgineo fereris minus aequa pudori;
Diceris at tantae Virginis esse parens.
Huic te devoveas si cura est tollere labem
Ac sordes; labis si tibi cura manet.
Sint arae sint Thura illi floresque precesque;
Quaeque suos vultus picta tabella ferat.
Huic tu subscribas: primi redduntur honores
Franciscae, si sit Virginitate prior.

Aspice delectam procerum de sanguine pubem ;
Quam juncta Ogniadum coetus in aede colit.
Num quis tabifica sensit praecordia flamma
Ardere aut tetro membra rigere gelu ?
Hi me qua licuit dudum pietate vocarunt ;
Aurea in extructo fornice veste tegor.
Hos ego servavi sistens ad limina custos ,
Ut pastor timidum nocte ruente gregem.
Oh ! quoties monstrum veniens et moenia saltu
Tentans, opposita continui ipsa manu !
Laeta fuit facies , ceu cum cedentibus euris
Vere novo , lenis temperat aura Dies.
Et licuit dulces per noctem carpere somnos ,
Nec pluvias, tristes nec timuere dapes.
Vade , age , quae dixi toti fer nuntius urbi ,
Nec laedat nomen falsa querela meum.
Audiat et recto qui vos tenet ordine praesul ,
Debita ne latae gratia desit opi ;
Ipse quidem placidis accendit pectora dictis
Dum per quam vestra est libera vita monet.
Accedat festum , et qui munera tanta loquela
Praedicet : hunc larga recreet inde dape.

DE NOBILIUM EPHEBEO IN D. SEBASTIANI CONSTITUTO.

ELEGIA X.

Quas sibi divinis addicta laboribus olim
Gens ediversis ordinibus varia ,
Delegit , non insignes penetralibus aedes ,
Nec quas marmorei condocerent lapides ,

Has modo Sirenis spes o firmissima pubes,
Quam genere antiquo nobilis atque opibus
Ordo ducum generat, dum vano separat urbis
Vulgo Franciscus jusserat esse tuas;
Quo tua Lojolidum gens doctas formet ad artes
Pectora, ab infandis rapta cupidinibus
Quae male Virgineos juvenum corrumpere mores
Si nulla assequitur vis benefida, solent.
At te ne multis laquearia splendida lycnis
Deserere, aut vario moenia tecta opere
Poeniteat; nec te tripodes nec mollia tentent
Strata, nec auratis scamna toris moveant,
Si quae te capiunt aedes insignia tanta
Arte ornant, nulli non monumenta ducum
Invidiosa, sibi quam vel sublimia vellent
Atria, quae summi rerum habitant Domini.
Aspicis ut longo campum complectitur arcu
Murus, quem vario firma columna statu
Dividit, et sparsi distinguunt arte colores?
Hunc quoque multorum jam simulacra vides
Imposita hic illic certa variare figura
Corpora et indicibus res memorare novis;
Disce quid haec referant: et grandia facta parentum
Mente agita, resides quo cieant animos;
Et studiis annos durisque laboribus aptes:
Ut si nos casus sollicitent similes,
Non desint pro Parthenope qui corda periclis
Objiciant; et res non ruat acta malis.
Scilicet hic magnae spectas insignia pugnae
Qua Carolus vires perculit Austriacas;
Tum Lobkovitius collectis undique turbis
Pannonicis, quas nix alta famesque nigras
Per sylvas agit Ausoniae petere agmine campos:
His ut Romuleos exsuperasset agros

Finibus incubuit quos jam coluere Sabini ;
Hic tenuit magnis agminibus Carolus
Occurrens , quae Parthenope concussa coegit :
Heu quibus in cunctos viribus atque animis
Pugnatum est ! testes magna jam clade Velitrae
Vexatae , dum se Lindenius numero
Nil fidens , per praerupta occultare laborat
Montis , qua turres grandine flammifera
Bissenos tonuere dies , qua tacta cadebat
Gens Lobkovitii ceu seges alta solet ,
Cum magni incumbunt mittentes fulmina nimbi.
Ergo ne tantum sera abolescat opus
Aetas , victori statuit insignia regi
Siren , quae soboles perlegat , ac stupeat.
Apta diu sedes quaesita est , sedulus errat
Omnia perspicuis compita luminibus
Circumiens Vanvitellus : renuere marini
Tractus , nec locus est aptior interior :
Hunc superi ostendunt ; tibi quem fortuna juventu
Par praebet , rebus consulat ut trepidis.
Heu quibus obruimur fatis ! quae damna , quot a
Casus , jam nimium novimus atque animis
Ingemimus tacitis : sed rem quae dextra recente
Sustinet , illecebris omnia dum juvenum
Pectora flaccescunt ? in te jam tota recumbit
Spes pubes , avido tu monumenta oculo
Perlege magnorum heroum , lususque relinque
Nobiliora sequens ; plurimus urbe locus
Ornandus vacat ; hic tua facta tuosque labore
Quaerit : ut insignes vita imitere viros ,
Venturae tua ceu tu res miraris avorum ,
Aetatis simili facta in honore stupent.

AD ANGELOS IN DIE DOMINI NATALI CANENTES.

ELEGIA XI.

Oh quae nunc pendens sublimis in aere carmen,
Aethereo recinis gutture dulce cohors,
Quid juvat hic orbes vario miscere volatu
Alternisque alto ludere in axe choris?
Iuverit umbroso nunc te succedere luco,
Atque ruinosae limen adire casae;
Scilicet aeterni soboles aequaeva parentis
Hic jacet officiis nunc relevanda tuis.
Quicquid habent venti, quicquid brumale laboris
Frigus habet, quicquid vis furibunda nivis,
Cuncta premunt nuda puerum tellure jacentem,
Nec miserum pannus flamma nec ulla fovet.
Est bos qui calidis algentem naribus afflat,
Est qui villoso corpore asellus obit.
Ergo ad speluncam sua vertit lumina mater,
Et si forte adsit qui levet ore petit.
Ite boni, divoque citam praebete puello
Debita, quippe deus munera poscit, opem.
Non illi quaeruntur opes et regna quiritum,
Quotque tegunt gemmas aequora lata sinu.
Nec vult vernarum quae millia regibus adsunt;
Sive tibi Caesar, sive Philippe tibi.
Te pennata cohors supera quam nutrit in aula
Poscit, servitio sola eris apta suo.
Assuetas rutilas coelorum vertere moles,
Artubus ah teneris sedula sterne manus;
Sterne, precor, nec tam duro requiescere lecto
Hunc sine, quo uno stat vestra tenente domus,

Sunt etiam teneris texenda crepundia membris,
Quae nisi caelestis consuit illa manus?
Id velit ipsa parens; sed longo fessa labore
Abstinet, et calido vix fovet ore genas.
Et vellet cantu lentos arcessere somnos,
At vox e trepido spirat anhela sinu.
Ipse senex conatus erat, sed guttura languent,
Et raucas fauces longa senecta facit.
Quid vetat alma cohors, his nunc accurrere plectris?
Auctori faciunt ah nimis illa suo!
Antra suum solamen habent; est Tytirus illic,
Est Lycidas apta qui beat arva lyra.
Haec habeat campus; sunt rustica ruribus apta:
Gaudeat Aethereis qui regit astra sonis.
Forte erit ut placido claudantur lumina somno,
Per quem cura minor, qua laceretur erit
At caveas aptes coelestia gaudia chordis.
Ah, nimis haec pietas populo acerba foret!
Ille memor patriae, quamvis haec nulla libido est,
Se doleat spoliis supposuisse novis.
Facta canas, facienda tace, ne forte puello
Occurrant poenis fata futura suis.
Quis scit, an adveniant captae dulcedine cantus
Quot saevae his lustris se occuluere ferae?
Hae quoque mitescent, quid enim non carmina possunt?
Et discent domino ferre tributa suo;
Suppositis fortasse velis ad sidera pennis
Tollere; sed coelo gratior illa casa est;
Nec velit ipse puer, materque senexque vetarent:
Oh quantum terris aveheretis opis!
Parcite, celicolae, tantum mulcete dolentem;
Caetera, cum victor debita regna petit.

FINGITUR BEATISSIMA VIRGO AUCTOREM STULTITIAE ARGUERE.

ELEGIA XII.

Saepe meas curas, durosque imitata labores;
Nunc horum causam, moesta Elegia, cane.
Non mihi tristis hyems, non aura infesta nivalis;
Non quae per venas creditur ire lues.
Ipse mihi nocui; mihi nil nisi triste dolenti
Contigit, ut carus desiit esse polus.
Haud equidem fraudem struxi; non numina laesi;
Nec vetito incaluit turpe calore jecur.
Verum ad caelestes raro mea lumina sedes
Verti; rarus erat sanctus in ore sonus.
Haec me jamdudum spernentem et vana putantem,
E superum monuit lapsa Maria domo.
Vesper erat, fessusque via, longaque querela,
Quam socius poterat vix tolerare puer:
Ad tabulam sedi; nec dum splendere lucerna
Coeperat; et requiem densior umbra dabat.
Nube cava primum patefactam invecta fenestram
Intrat; et insolito spargit odore domum.
Mox illam liquit: varii comitantur euntem
Aligeri: lento sed subit ipsa pede.
Cerula vestis erat; multi velut astra lapilli
Distinguunt; collum lucida torquis obit.
Vix media ora patent: frontem longosque capillos
Demissa ad scapulas lutea pepla tegunt.
Obstupui adspiciens: neque enim fallebat imago;
Nec semel ad nostros venerat illa lares.
Et volui conferre pedes; et tangere dextram:
Sed trepidum admota sustinet ipsa manu.

Haec magnis inquit, talis si cura, magistris
Praebe: caelestes altera dona petunt.
Ecquid te laesi, quod nomina nostra libellus,
(Multos te novi scribere) nullos habet?
Insanas curas, aliosque secutus amores;
Hos animo servas; haec tua musa refert.
An sordent mea facta tibi? num visa camoenis
Res indigna tuis? tam tibi vilis eram?
At mihi non deerant, ut tu tua verba negares,
Quae canerent numero nobiliore lyrae.
Sat mihi quae grandis sonuit modo Masculus ore;
Sat quae Sincerus; quae mihi Ceva dedit.
Aspice Delionium; nec non cantata Rapino:
Hoschius accedit: musaque magna Vidae.
Quin nec mutati mores, nec durior aetas
Impediunt, quin me nunc nova musa canat.
His ego visa diu, gravibus quam dicere possent
Versibus: ingenio nunc minus apta tuo.
Haud equidem, mea quod capiant praecordia laudes;
Verum ut te moneam, durius ista queror.
Judicium vulgi, vani placuere tumultus;
Horum musa levis capta favore tuo est.
Quid peterent, quae sit populi scrutata voluntas,
Incaluit vana mens tua rapta face.
Risisti, si qui sapiens mea facta sonaret;
Et lanquere chelys re tibi visa levi.
At tua quid sonuit lyra; quo tua vena calore
Arsit; ab ingenio quae data verba tuo?
Sperasti demens populi magis aequa futura
Vota tibi: studium si sequerere suum.
Ergo quo chari studio quaerantur honores
Dixti; et qua possit fama venire via.
Et me cum caro prohibebas carmine nato:
Quod fastidiret hunc vaga turba sonum.

At tibi pro tanto quae reddita gratia facto ?
Servitio merces quae data, fare, tuo ?
Ede locum si quem teneas ; ostende favores :
Serta placent vati, quae tua serta, mone.
Squales infelix, et parva in sede senescis !
Ah tua te faciat postmodo poena pium.
Miles eras rudis, et tanto non dextera bello
Apta : rudimenti vix tibi nota domus.
Lanea vestis erat : circumdata colla cucullo ;
Et tenuata brevi mollia membra dape.
Squallebat macie vultus, frons obsita nube ;
Quam tenebrae et tacitum limen et umbra facit.
Nescis quo peragi ritu nunc talia oportet
Praelia ? militiae lex sua cuique data est.
Audendum, captandi aditus, et laude movenda
Pectora : tum longos ire redire dies.
Haec, cui major amor studiumque ardentius ultro
Gignuntur : studium spes animusque facit !
Ergo tibi pietas, studium si tale, neganda !
Non constant : illam reiicit hujus amor.
Haec tu jam nosti ; quam pellis corde Mariam,
Et meminisse potes, dulce tenere fuit.
Fastidis senior, quam primo tempore amasti:
Ergo aut tu levior ; aut ego digna minus.
En ego dum tellus bruma cedente virescit ;
Hanc adeo insolito more vocata domum.
Dant alii flores : florum mihi copia grata est,
Quam praebet facili rustica turba manu.
Anne his vos etiam mihi posse placere putatis ?
Non capit a magnis regia poma viris.
Rura dabunt flores ; humiles magalia cantus ;
Queis valeat, tacitas casta puella preces.
Vobis musa dedit quas gignunt pectora flammas,
Quod pia turba probet, posse referre modis.

Haec magnis inquit, talis si cura, magistris
Praebe: caelestes altera dona petunt.
Ecquid te laesi, quod nomina nostra libellus,
(Multos te novi scribere) nullos habet?
Insanas curas, aliosque secutus amores;
Hos animo servas; haec tua musa refert.
An sordent mea facta tibi? num visa camoenis
Res indigna tuis? tam tibi vilis eram?
At mihi non deerant, ut tu tua verba negares,
Quae canerent numero nobiliore lyrae.
Sat mihi quae grandis sonuit modo Masculus ore;
Sat quae Sincerus; quae mihi Ceva dedit.
Aspice Delionium; nec non cantata Rapino:
Hoschius accedit: musaque magna Vidae.
Quin nec mutati mores, nec durior aetas
Impediunt, quin me nunc nova musa canat.
His ego visa diu, gravibus quam dicere possent
Fequis tanta audet puer, ut quae iura parentes
Solleciti ponunt cordo, vel ore terat?
An quod per regum arbitrium legesque recentes
Firma minus patrum iura, verenda minus?
Sunt Superi iuvenes: Superis en grata pe[illegible]
Quique dedit Deus hos ipse [illegible]
Si te dimittat consulto cedice [illegible]
Quae laedat patrem [illegible]
Pro scutum habes,
Nil pro eas

Iam pectus circum fundi, lateque videres
Crescere, ceu cauro nubila flante solent.
Nulla tenet junctura pedes, certaque figura
Crura carent, unus omnia finis habet.
Jam rigor accedit sensimque arescere membra
Incipiunt: artus duritieque manent.
Tum demum commoti animi, pe'usque puelli
Et gemere, et matris quaerere vellet opem.
Duritiés obstat, claususque in gutture fervet
Spiritus; et cedens interiora premit.
Denique qua nondum penitus costaeque cutisque
Duruerant, dextrum distulit ille latus.
Spirat adhuc late tenebris horrenda caverna,
Nomen at in sera posteritate latet.
At mater, quamvis furor, atque audacia nati
Moverat, atque altum pectore vulnus erat.
Obstupet, et tanto penitus perterrita monstro
Nec quid sit novit, quidve loquetur habet.
Seque vocans duram, et crudelia fata, capillos
Vellit, et in pectus fert furiosa manus.
Denique praecipitem dare se per lumina saltu
Destinat, et gnati tristia fata sequi.
Tunc tremere et circum coeperunt tecta moveri
Perque aedes omnes vis violenta ruit.
Ipsa etiam sensu paullatim abeunte rigescit,
Atque suos clamat pondere stare pedes.
Dum currunt trepidae famulae, ipsaeque tumore
Crescunt, atque uno stantque ruuntque modo.
Denique cum membris cumulo coguntur in uno
Saxa, et quaeque suo nomine mixta carent.
Collis erat pontum spectans: ad culmina nudus
Est lapis; haec miserae mala parentis erat.
Quae nati casus lugere diemque videtur:
Atque omnes coeli tela timere monet.

DE CRATERE MONTIS VESUVII FLAMMIS SUBIECTO.

ELEGIA IX.

Quis fuit Elysiis primus qui contulit oris
Craterem? vere barbarus ille fuit.
Certe equidem Scythicam glaciem, et torrentis arenas
Praetulerim Lybiae, Caucaseumque nemus.
Namque hic quae species oculis, animisque voluptas
Mors ubi fatales concutit atra faces?
Quid prodest quod felices dent florea campi
Munera, et uberibus messibus arva virent?
Quid vites, quid poma juvant ubi perfurit ignis
Una qui possit vertere cuncta die?
Heu quoties primo dum vernant lilia vere
Pulverea obducit nube, teritque comas.
Heu quoties gravidas dum porrigit uva racemos
Effundens liquidas decutit ille pices.
I nunc Thirrenos Campane mihi objice fluctus,
Aut quas Sebetus volvere gaudet aquas.
Non haec torrentes possunt compescere flammas,
Arida nec tellus his madefacta vireſ.
Vidimus objectum liquidum contemnere pontum
Et tutam mediis fluctibus ire picem.
Quo Stabiae extremam, et Capreae timuere ruinam,
Et Niside gemitus inarimeque dedit.
Ergo Dicarchaeos odit perterrita campos
Parthenope et veteres optat adire sinus.
At vos quae coepit cives dementia, ut ore
Semper inexpleto hos teneatis agros?
Nec satis est semoto in litore ponere sedes,
Et procul aequorea condere limen aqua:

Audent ambustas ponendis sedibus arces
Optare, et summo tecta locare gradu
Et laus est ubi saltus hiat, ubi fumeus extat
Vortex montivagum ferre referre pedem.
Et placet ignitas proscindere vomere cautes,
Et per concretam ducere aratra picem.
At vos quis mites animos quis mollia habere
Pectora, et ingenuis artibus apta putet?
Horret ab aspectu Getuli saepe leonis
Maurus, et horrendo si rudit ore lupus.
Et procul Aphariis cautus fugit advena campis
Extat Niliaca quod Crocodilus aqua;
An non marmaricos vitant Mavortia saltus
Agmina; et Adriaco ex aequore nauta fugit?
Hic tamen igniti delectant culmina montis,
Et sunt deliciae flammaque pixque loci.
Et tutas credunt noctes, lucesque quietas
Dum mons ignivomo jactat ab ore faces.
Hei mihi quis terrae gemitum, quis ferret hiatus
Cum furit, atque aditum concita flamma petit?
Tum labat excussus paries, tum tecta fatiscunt,
Excutit et trepidos fervida terra pedes.
Saepe tibi solem emissus de vertice nimbus
Eripit, et media nox venit atra die.
Interdum gliscens fontes et flumina vortex
Haurit et arentes deserit unda genas.
Quis sonitus, gemitumque feret, quis fulmina et ignes,
Quis quo saxa diu pulsa fragore tonant?
Ah pudeat nec se crater caelestibus aequet
Iam campis, nullus tristior orbe locus.
Tartarei placeant aditus, manesque profundi
Et liceat Sthygios denique amare lacus.
Ecquid in infernis nisi pix tenebraeque cavernis?
Quid luctum et poenas hic nisi flamma facit?

At nos horribiles campos vitemus, et agros
Dum licet; insanos territet ille viros.
Vos moneo sera quicumque venitis ab ora:
Non tuta haec vobis terra, referte pedem.

ADOLESCENTIBUS PRIMAM MINERVAM EXERCENTIBUS ALIQUANTULUM INDULGENDUM.

ELEGIA X.

Miraris nostras tenuisse silentia Musas?
Tempora sunt tanti caussaque fonsque mali.
Iam pugnas inter vates versamur et hostes:
Pacis Phoebus amans, otia carmen alunt.
Tempus erat pueros quo haec exercere juvabat,
Cum faciles animi mens et amica virum.
Cum nondum ambitio Ascreas turbaverat undas
Exul et a Pindi culmine livor erat.
Culpa fuit puerum studio peccare vel arte;
Sed tamen in puero culpa ferenda fuit.
Si minus ingenio, numeroque, aetate placebat
Carmen adhuc; aetas una probabat opus.
Plaudebat studiis qui non se posse videbat
Carminibus, plausus utilis ille fuit.
Incaluit juvenis, majoraque viribus ausus
Metra nec invita Pallade multa dedit.
Quae patres, doctaeque senum excepere coronae;
Munus ab ingenio rettulit ille suo.
Non fuerat viridi praecingere tempora lauro
Cura; sed haud doctis displicuisse satis.

Heu miserum quot nunc puerum fera bella canentem
Circumstant, ipsis versibus arma cient.
Parcite jam fasso socii vos parcite patres;
Non cadit in vestrum tanta querela caput.
Novimus ut nostris dedatis lusibus aures
Addatisque animis ore favente faces.
Hoc est cur iterum attritas rubigine chordas
Tangimus, antiqui vos mihi caussa soni.
Oh utinam tales haec multos proferat aetas!
Par utinam doctis gratia amorque viris!
Omnia nunc foedante suis livore venenis
Poena est Aonios excoluisse modos.
Iudice nam tali quid me sperare licebit?
Quae referam studiis proemia digna meis?
Digna canam puero? explodunt: majora? rapinae
Insimulor: non est quod facit ille ratum.
Queis genitos scopulis aut queis sub rupibus ortos
Hos dicam qui tam barbara ferre queant?
Insontem puerum tenero blanda ore canentem
Quis furor accensis exagitare genis?
Blandimenta lupam pueri coepere sub antro
Arcade; blanditiis cesserat illa suis.
Et rabiem posuisse Ursos, ipsosque Leones
Ad pueri voces obstupuisse ferunt.
Et potes, heu pietas! sacris invisa Camoenis,
Pallidulas sicco conspicere ore genas?
Quippe illi naso male cum suspendis adunco
Quae canit heu subito frigore membra rigent!
Et longos cernens horam rapuisse labores
Poene mihi visus sensu abeunte mori.
I nunc, Aonias illi propone choreas,
Et vocet ad priscos aemula turba choros.
Non sic nauta fugit scopulosas naufragus undas
Ut scamna haec timidis aspicit ille genis.

Et factum est : frustra voluere avertere morbum ,
Nec juvit medicas apposuisse manus.
Saepe medens dixit , jam nil medicamina prosunt ,
Atque herbae vires deposuere suas.
Vincimur heu fato ! non hic natura laborat ,
Et mortalis abest , quae terat ossa lues.
Forsitan occulto roduntur corpora tabo
Uritur et tacita ima medulla face.
Sunt quae descendunt Superum de culmine febres ;
Saepe etiam morbos Caelica flamma facit.
Fallimur anne illis , queis turgent corpora bullis
Se prodit totum qui jecur ignis habet ?
Ah liceat tali nobis quoque cedere morbo ,
Finiat et nostros haec quoque flamma dies.
Haec me crede mihi primis huic junxit ab annis ,
Nectitur ut liquida lignea lamna pice.
Ille mihi quantos intus celaret amores
Narrabat , dulci colloquio ipse meos.
Miscuimus lacrimas olim , cum sidera nocte ,
Mens fuit assidua sollicitare prece.
Par fuit ambobus querimonia , parque querela
Cum suberat quae sit poena parata reis.
Ipse mihi lugens simul ah ! simul ibimus inquit
Qua sua cumque malus spiritus arma jacit.
Ah ! quo nunc promissa fides , quo pacta feruntur ?
Foedera cum siccis ossibus urna tenet.
Quid moror infelix ? quid te solum ire per umbras
Sustineo quid non quo fugis ipse sequar ?
Heu sequimur tandem ; mox casus finiet idem ,
Quaeque tuos cineres haec capit urna meos.

Denique Sebeti Euboicam se duxit ad undam.
Unda eheu pedibus non repetenda suis.
Appulus Adriacis quoque vidit frigidus undis,
Atque Salentinis ora propingua jugis.
Quos illic casus, quae non discrimina sensit?
Omnia victori succubuere viro.
Ergo eadem quae meta viae, finisque laborum
Urbs solvit vitae tenuia fila suae?
Scilicet haec requies, haec merces addita fesso,
Ponat ut obscuro corpus inane solo.
At quidnam indignam potuit sic laedere vitam?
Queis potuit tandem succubuisse malis?
Num coelum quod diffusis madet undique nimbis?
Aut Borea, et madidis rumpitur usque Notis?
An quae vicinis glacies e montibus albet?
Flumina, qua circum strictaque terra riget?
Quis scit an immites tractavit perfidus artes
Dux Erebi, tristes fingere doctus anus?
Incautos hae nocturnis discursibus angunt;
Et torquent vetita corpora vincta prece.
Heu quibus ille olim terrebat vocibus urbem,
Ut solet ad timidas stridere pastor oves!
Hinc, atque hinc crebro turbatae murmure turbae
Quaerebant tacitas corde tremente causas.
Effugium miseris ardentior ille negabat,
Audax per campos, et juga celsa sequi.
Aspiceres spissis fulgentia lumina flammis
Atque interfusas igne micare genas.
Ah quoties trepidi revocabant voce sodales;
Ne noceant hostes, frater amate mane.
Et potero ajebat? hic scilicet ipse quiesco,
Et jesu opprobriis dulcia corda patent?
Ah peream! quid mens imbelles hos regit artus,
Si per me nullus desinit esse nocens?

Quales qui dubia quaerunt in sorte levamen ;
Hospes et ignota qualis in urbe viam.
Obstupui misero aspectu, motusque dolore
Accessi ut poenam, qua licet arte levem.
Ille suos querula casus narrare loquela
Coepit, et haec agitans tempora dicta dedit :
Non ago longinquis accessi hunc hospes aboris ;
Sed genus ab summo est caelica in arce Deo.
Ipse ego sum qui per coelestia pascua duco,
Quam rapui aeterno a funere, morte gregem.
Sed mihi, nec domita imperio, nec fracta triumphis
Iam nova vis ditis praelia dira movet.
Haec ego ut avertam, et gentes a caede coactas
Eripiam, studiis versor in orbe novis.
Ille suos pueros gratissima pabula denti
Adpetit : hi studii maxima cura mei.
Hos ego ut eriperem fatis instantibus, altis
In ludis actos, qua libet arte colo.
Et jam curarum socii, studiique ministri
Multi adsunt, quibus haec credita cura viget.
Hi prima pueros teneros aetate Minerva
Informant, quos non culpa, vel error agit.
Suscipiunt alii quos jam maturior aetas
Composuit ; pandunt his sacra jura sophi.
Turba tamen media est, quam prima Pallade ludos
Instructam emisit, nec schola summa capit.
Et tamen haec nostro curanda est numine ; nec si
Acrior est animus cura gerenda minor.
Difficilis cura est, quod nec formidine cogas
Sublimes ; solita nec pietate tenes.
Si premis ardentes animos, natura fatiscit ;
Si nimis indulges, flamma venusque rapit.
Iugens hos curare labor ; quis corda laborem
Hunc hominem suadet, damna quis illa feret ?

Immites fugiunt : tanta haud patientia menti
Ut morum Phoebum in mobilitate colat.
Sed nec tanta animis pietas, heu turpe piorum !
Queis grande est Musas consociare nefas.
Illis lex magna est, aliis gravitate placere,
Sed perit in juvenum garrulitate decus.
Infelix igitur nullo doctore juventa
Errat, quod tanta sedulitate caret ?
Haec qui suscipiant toto quaeruntur in orbe ;
At fallit curas heu mora longa meas.
Oh mihi si tantae vires, si commoda virtus
En subeo, quantum est me premat illud onus.
Qua tu me quondam Iesu pietate vagantem
Duxisti, curas haec reget usque meas.
Collige tu quo vis diversa e parte juvencos
Ipse geram et numquam me labor ille gravat.
Divitias alii, et summos lucrentur honores,
Hic teneat populos eloquio, ille manu.
Hic mihi summus honos, laus haec mihi maxima si me,
Dum tibi sic faveo, munera nulla manent.
Ne dubites Iesu sunt tanta ad damna parata
Pectora, quae in longo cura labore parit.
Securos spernam somnos, noctesque quietas
Quaeque mihi frangunt corpora, quaeque caput.
Unum oro si quid tanto in discrimine quondam
Peccaro, simili me pietate juva.
Et si judicio videas iraque malorum
Oppressum, quae non sunt mihi tela move.
Non quod damnatos cupiam, miserosque nocentes ;
Sed ne quod credis linquere cogar onus.
Haec ego. tum Jesus gaudens mea dicta probavit :
Quisquis es, evertis qui mea facta, cave.

AD AMICUM

Cholera morbo Neapoli saeviente.

ELEGIA II.

Ille ego, qui solitus tecum modo ludere versu
Scribo, sed haud idem, qui modo versus erat:
Adjuvat interdum numerum, quae pectora figit
Cura, sed hic languet, si nimis illa premit.
Semina, si modica est tellus fovet abdita sulco,
Injicias cumulum, putrida facta jacent.
Sic canit in numerum, clausus qui carcere squalet,
Mactandus duram vix hiat ante trabem.
Hei mihi! quod numeri studium, quae cura Camoenae
Dum mors ante oculos non retinenda ruit?
Vivimus heu! miseri, quotquot tenet inclyta Siren,
Ut solet in caula, cui lupus instat, ovis,
Qualis in aprico fervent incendia campo,
Quae ciet injecta rustica dextra face,
Hic vorat, atque illic serpens exurit aristas,
Flamma et per stipulas non saturata ruit;
Nec lapis objectus, viridi nec vinea fronda
Detinet, illa avido gutture cuncta rapit;
Talis per nostram ruit irreparabilis urbem
Tabes, heu longa non satiata nece!
Prima cruentatos experta est ultima morsus
Pars, ubi Tyrrenis fluctibus ora sonat.
Hic velut errantes nullo custode capellas,
Saeva rapit quotquot vix casa parva tenet.
Quis tibi nunc lacrymas miserorum, et funera dicet?
Quis, quibus audita est urbs resonare modis?

Illa tamen serpens, et facta audacior, omnem
Per populum rapido fertur iniqua pede.
Et jam sensernat, qui sunt prope Principia aedem,
Quique oculis spectant alta theatra suis.
Nec tenuere fores ferratae, atque edita regis
Moenia, tres illinc nil verita arma rapit.
Irruit in septum, quo pubes Martia sedit,
Quaeque timet Mavors fortia membra tenit.
Non hanc excubiae, non hanc custodia terret
Sedula, nec vigiles in statione viri.
Vidimus ah! saevi factum modo pabula dentis,
Cui sua Mars dederat arma regenda, Ducem.
At mihi parcet, ait, qui summa stabat in aede,
Me tutum latices, herbaque multa facit.
Occupat hunc tabes, cyathusque loquentis ab ore
Excidit, et natos corruit ante suos.
Altera turba fuga celsi capit edita montis
Culmina, tam celeres non habet illa pedes.
Illa lupo similis per coeca cubilia repit,
Est ubi limoso sordida terra lacu.
Illa tameu sequitur, jamque Æglae ex culmine taedae
Funereae, et tristes emicuere preces.
Non ultra effugium miseris, non tecta patebunt,
Qua licent certa lege tenere malum.
Incustoditos ut tigris mactat in agro
Agnos, sic labis praeda cruenta sumus.
Hei mihi! quis somnum fessis concedit ocellis?
Quae requies curas? quis levat ora cibus?
Proxima cum sedes inimicis ignibus ardet,
Et tua tecta illis dejicienda monet?
Saepe tibi, cum per plateas incertus oberras,
Occurrens nigras injicit illa manus.
Vidi egomet raptum, qui mecum ad compita stabat,
Alter ut a mensa moverat ora, ruit.

Miles ab excubiis effertur, pastor ab agro,
Ipsa Sacerdotes non tegit ara suos.
Ubera ducebat lituus puer, atraque sensit
Funera, et examini moesta fit urna sinus.
Mobilis ante pedes ludebat Virgo Parentis.
Et subito indoluit exta dolore premi.
Dum famulae trepidant, genitor dum pocula miscet,
Concidit, et gelido manat ab ore liquor.
Hei! mihi nocturnam quoties lamenta quietem
Rumpunt, et media surgere nocte jubent!
Hic puer ereptum Patrem, Pater inde puellam
Luget, fratre soror, conjuge sponsa dolet.
Quis scit, an extremos morituri lessus amici
Hic sit, quo fractus proxima fata querar?
Ergo erit, ut nostros ille irrunt ignis in artus?
Quam torquet! quales heu! facit ille notas!
Livent ora, rigent artus, occulta lacertos
Contrahit et summos vis violenta pedes.
Ceu solet effusos imbres emittere nubes,
Sic sanies rupti ventris ab ore fluit.
Nec stat diluvies, donec resoluta calore
Tabifico linquant viscera tota locum.
Quod si me tubes sibi praedam destinat, unum,
Quod licet, et superest, accipe, amice, Vale.

AD SIGNUM AGRIPPINAE EX MARMORE QUOD IN REGIO HERBARIO CUSTODITUR.

ELEGIA III.

Haec quam stare vides tristissima feminae imago
Non est mortali saxea facta manu.

Hanc posuit dolor: hunc vultum pietate rigentem,
Hunc gelidos artus composuisse reor.
Qualem ad Maeonium septenae ob funera prolis
Tantaleam natam diriguisse ferunt.
Qualesque Hesperio steterunt in littore trunci
Phaetusa arboreis, Lamperieque comis.
Nam quis tanta pati, quis tot perferre dolores
Et potuit sensum non posuisse gelu?
Haec est; si nescis, Romano nobilis ortu
Sed magè nota suis femina facta malis.
Candida nascenti fortuna arrisit; at illa
Optavit manibus rura colenda suis.
Arvaque pro celsi pinnis habitare palati;
Et nunquam in Magni Caesaris isse domum.
Nec te magne Nero, nec te Germanice, nosse
Materies lacrymis factus uterque suis.
Scilicet haud viduo jacuisset frigida lecto
Conjugis indignam ferre coacta necem.
Nec procul Euboicis exul fugisset ab arvis
Heu! quondam imperiis arva gerenda suis.
At tu quid doleat, quae sint sua vulnera, vultu
Si nequeas factis discere, disce suo.
Hoc est cur pallent, amisso sanguine venae,
Atque rigent duro livida membra gelu.
Nec se conatur praeduro attollere saxo,
Nec si conetur languida crura sinunt.
Triste jacens onus, haud potis est gravitate moveri:
Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa manet.
Frustra verba petis; jam respiramina vocis
Pressaque lethalis guttura clausit hyems.
Suffossi livent oculi: mens inficit illos;
Et patet indicio, poena dolorque suo.
Talis erat puto, cum bustum lugubre mariti
Moesta gerens tetigit littora nostra rate.

Cum pro speratis regit miseranda triumphis
Ferales urnas, funereasque faces.
Quos gemitus tunc, quae non suspiria duxit
Tota salentinis ora propinqua jugis?
Quin tellus vultum lacrymabilis induit unum
Et gemit ad gemitus orbis uterque suos.
Una malis tantis fruitur, quis crederet? una
Debuerat luctus quae comes esse sui.
Forsitan haec reputat secum, cum lumina terrae
Dejicit, et vultum tollere moesta negat.
Heu! meminit quam sors fuerit sua lubrica; quamata
Æmula furtivam struxerat arte necem.
Et vellet meritos de crimine sumere poenas.
Æquus, at admissi criminis ultor abest.
Caesareas implorat opes, et jam pia credit
Caesaris in poenas arma futura suas.
Heu! nimium simplex, saevique oblita tyranni;
Accedit tantis Caesaris ira malis.
Ille negat miseram patria consistere terra.
Et jubet indigna cedere ab urbe fugn.
Quos animos miserae, quae corda fuisse putatis?
Duruit, et quo nunc obstupet, ore stetit!
Duruit in pectus Romano e ranguine robur,
Frangere quod longae non potuere viae.
Concretusque stetit circum praecordia sanguis
Sanguis feminea conditione prior.
Altaque Majestas haesit quoque nubila fronti;
Et matronalis duruit ore decor.
Una manet pietas, et adhuc sub pectore spirat,
Restitit haec tantis inviolata malis.
Illa oculos illa ora regit; manibusque comisque
Stat pietas, et habet nil nisi forma piom.
Haec facit ut pectus squalenti celet amictu:
In gremio lassas jungit et illa manus.

Haec retinet lacrymas, quamvis has fundere vellet,
Languet enim lacrymis, egeriturque dolor.
At tu si siccis haec spectas vulnera ocellis
Durius hoc duro marmore pectus habes.
Eja age da gemitum: cessant tua lumina cessant?
Ah! mage duritia haec quam sua fata premunt.
Non petit ut poenam et justum testere dolorem
Tristitiae vultu conveniente suae.
Nec detestatam lugubri carmine caedem
Exagites; pietas haec sua velle negat.
Cur haeres hospes, tacitus quid plura volutas?
Dic semel heu miseram! dic vale triste, sat est.

IN NUPTIIS FERDINANDI REGIS CUM CHRISTINA OVIDIUS.

Fingitur invitatus sua amatoria retractare, ac honestiora de connubiis canere.

ELEGIA IV.

Exul in haec venio timido praelustria passu
Limina et Ausonii Caesaris alta peto.
Si vacat auditis Nasonis carmina princeps
Adde modis: facili et munera sume manu.
Perlegis? an refugis damnati scripta poetae?
Perlege; nulla sub hoc carmine culpa latet.
Ille ego, qui vetitas lascivo pectine flammas
Accendi, et teneri doctor amoris eram.
Casibus infelix monitus poenaque magistra
Edidici numeris bella movere meis.

Ut tetigi pontum sub pectore constitit ignis
Atque animi longo deperiere situ.
Qualis et in media squallet projecta palude
Quercus, et in coeco pallet arista specu.
Sic mihi dum campis cessi latialibus exul
Pectora Sarmatico diriguere gelu.
Vix longa superest attrita aerugine chorda
Una comes luctus, et medicina fugae.
Hanc ego vix tremula possum nunc pellere dextra,
Et veteres moesta voce ciere modos.
Eloquor? an refugit cantum mihi discolor aura;
Naeniaque ad tantum non facit ista diem?
Biande puer perquem teneri iunguntur amores,
Tuque mei semper fons cytherea mali:
Ah liceat per me lapsam revocare iuventam,
Atque alia castos iungere lege toros.
O utinam ut nostri incantos coepere libelli,
Hos capiat facili mente iuventa sonos!
Vosque sacros iam non coeca levitate maritos
Tangat inornato nostra Camoena pede.
Illa quidem ut miser est auctor, miserabilis adstat;
Sed bene consilio si minus ore placet.
Quam colui infelix, fecique hoc carmine amandam,
Ne Venus instauret procuba dira torum.
Nec vobis paphiasque faces, et vincla velitis
Dicta maritalem iungere posse fidem.
Ah miseri quos hac cypris conjunxit amantes
Compede: conjunctos vix tenet una dies.
Adspicis ut subito amittat medicata colores
Lamina quam tenui tinxerat arte faber?
Utque levi summas perstringant spicula costas
Ictu; cum lenta prosiluere manu?
Et navis modico per pontum solvitur imbre
Si sint exigua membra ligata pice?

His similes fuerint, quos non bonus oniit ardor
Sed coeca infelix arte fefellit amor.
Si te purpurei vultus coepere colores
Oblatam ejuras ore rigente manum.
Si fidis oculis, et flavis crinibus haeres
Excidet ex animo crine cadente fides.
Quidqui blanditiis; quidqui capiuntur avari
Muneribus? levior pulvere cedit himen.
Haec ego Phoebeis potui committere chartis?
Irascor studiis heu levis ipse meis.
Utque miser Scythicas tulerim tot damna per oras
Vix satis in poenas barbara terra fuit.
Saevior haud potuit tantos ad Tartara Mavors
Mittere, cum trepidas cogit ad arma manus.
Nec coelum pluviis, nec sol tot perdidit aestu
Quot mea devovit dira Camoena neci.
Has si Priamides vitasset perfidus artes
Nunc quoque pergameae gloria staret humus.
His agamemnonias postquam male polluit aedes
Sensit Orestaeas mater iniqua manus.
Quid fuit, ut iunctum discordia scinderet orbem
Actiaque immensas tolleret unda rates?
Nempe quod illecebris mulier peregrina dolosis
Coepit, quem centum non domuere viri.
Felices quos aethereo de cardine lapsae
Conjungunt flammae, nec mihi nota fides.
Alter adest, qui vincla tulit taedasque maritas
Non puer Ideo a monte, sed arce poli.
Alter adest, blando qui vultu pingat amantum
Quales casta queat sponsa probare genas.
Id fidos talamos, id certam reddere prolem
Iam valet, ingratas et prohibere faces.
O utinam membris vigor, et nova vita rediret,
Ludere legitimo carmine cura foret.

At nunc quod nostris patuerunt principis aedes
Passibus, et numeros excipit aula meos,
Iam non tentatam mentitur musa Corinnam
Caesaris heu sacris insidiata toris.
Sed tibi quae fortuna docet, Fernande, relegi:
Quaque decet dixi conjuge lege frui.
Tum se Phartenope mirabitur, et sibi dicet
Hoc bene connubio consuluisse Deum.
Haec si lugubri lusit mea Musa cothurno
Parcite: conveniunt casibus illa meis.

CUM IN DUOS PUEROS AETHIOPES.

Quos patribus Societatis instituendos Ferdinandus rex tradidit, redux Salerno auctor incidisset carmen elegiacum scripsit, quo ex illis alter ad matrem scribere fingitur.

ELEGIA V.

In nova mutatus terrarum regna, salutem
Hanc matri mittit per nova verba puer.
Ille ego sum quem tu tenero quondam ore Pachitum
Dixti, nunc lacrymans nocte dieque vocas.
Parthenope me culta tenet, domus hospita gentis,
Quae certa puerum pectora lege colit.
Miraris certe, et quae me fortuna periclis
Eripuit, quanta ad dissita regna via.
Perveni quaeris; longa est et plurima rerum
Ambages, referam si mea lingua valet.
Ut me praedator scelerata e gente Saboea
Abduxit, luctu non vacat ulla dies.

Clamanti et querula frustra te voce vocanti
Saevus, contracta contudit ora manu.
Sanguineos in me volvens oculosque genasque
Noster eris, dixit, desinis esse tuus.
Tum mea constrinxit ferrata crura catena,
Quaque illam junxit annulus uncus erat.
Inde ad squalentem tenebris et odore cavernam
Duxit; et haec, inquit, dein tibi certa domus.
Illic ex omni abstractas regione rapina
Servat opes, foedus cum bove porcus erat.
At juxta misera cervices tabe fluentes
Stabant, virtutis saeva trophea suae
Scilicet hic modus est, haec lex infanda rapinae,
Ut cum re domino vitam animamque trahat.
Os breve speluncae, ingenti spiracula saxo
Obstruxit; clausum non subit aura specum.
Tum mihi quod misero spes omnis rapta salutis
Ingemui, et fregi laevia membra manu.
Ante oculos cari haerebat genitoris imago,
Heu luctus genitor maxima causa mei!
Hunc ego spirantem et miseranda caede cruentum
Vidi, dum rapto ferre volebat opem.
Qualis in obscuro dumis atque ilice saltu
Intumet et saeva perfurit unque leo
Si caram jaculo prolem venator acuto
Figit, et ad caedes ore fremente ruit.
Sic genitor cum me saeva inter brachia vidit
Raptoris, nulla vi retinente volat.
Non telum non ensis erat, rapit illico fustem
Magna et praedonem voce tenere studet.
At dum me dextra tenet et robur quatit; ille
Occupat, et misero cuspide colla ferit.
Heu singultantem vidi, et se corpore toto
Volventem, et rigido mordere dente solum

Extrema me voce tamen tum saepe vocavit;
Qui te tutari, care Pachite, queo?
At mihi non studium sentis, non defuit ardor;
Vis superat, morior, care Pachite, vale.
Haec ego dum solum nox et spelunca fatigat.
Mecum agito, et moesta sidera voce voco
Nam cui clamarem, cuinam mea dicere possem
Fata, quis in tanto gurgite ferret opem.
Sed tu majoris luctus mihi causa subibas,
Quo mihi cara parens, quae sua cura modo est?
Infelix una cum nato orbata marito est!
Quis moestam alloquitur, qui sua corda levat?
Tres miseri sumus, imbellis sine conjuge mater,
Et sine matre puer, privus utroque parens.
Quid referam mea quo saevus dein corpora raptor
Servitio pressit, quaeque ferenda dedit?
Ut me sanguinei rapuissent unque dracones
Mitius imperium, fata minora forent!
Mactassent semel, et saevos lux una labores
Finisset, longa hic mors mihi vita fuit.
Saevus, crudeles ingenti in pectore sensus,
Trux oculus, rauco verba timenda sono.
Durum servitium, neglecti poena laboris
Irrita mors, munus verbera saeva dare.
Potus aquae, quas stagna darent, vel tetra flu
Obvia; praeduro e cortice lectus erat.
Quod mensa caderet frustum, quod nausea fe
Esca, haec si deesset dura ferenda fames.
Sed qui te tanto pergo afflictare dolore?
Tristia quae mutant laeta, referre juvat.
Auri sacra fames in me faciebat iniquum
Praedonem hoc rabies tanta domanda t
Ut mihi praesidium deerat studiumque pa
Forma erat effugium hoc magnum h

Nigra mihi facies, nigri placuere colores
Genti diversum, quam latus orbis habet.
Albus ut in pretio est ubi cuncta nigrantia, vultus
Sic Italo cara est fusca colore gena.
Rarus emor magno, fama celeberrimus emptor
Nomine qui implevit indica regna suo.
Qui modo in ingentes indorum densa catervas
Agmina terribilis duxerat, emptor erat.
Hic mihi tristitiae finis, melioris et auctor
Vitae, servitii quippe redemptor erat.
Ducor ad Italiam; totum jam nota per orbem
Illa est, victorum terra beata virum.
Et genitor, bene si memini, mihi bella triumphos
Narrabat, magnas nobilitatis opes.
Ut primum littus tetigi, pulcherimus urbis
Objicitur vultus; visa nec ante domus.
Parthenope illa fuit; nequeunt mea corda tuendo
Expleri; nullus ditior orbe locus.
O leve servitium, dixi, fortunaque dulcis
Si mihi tam pulchra nunc datur urbe frui.
At nos exilio ejectos, meliora manebant
Fata, mihi aeterno fata canenda sono.
Magna suo princeps meditatur munera Regi
Ferre; ego donorum pars bene prima fui.
Munus ego magnae Fernandi destinor aulae;
At sors dona mihi tunc meliora parat.
O mihi grata dies; cum primum ad principis aedes
Ducor Parthenopis, qui pia corda regit.
Crede mihi mater cum primum moenia vidi
Liminaque et celsae ardua tecta domus.
Contremui, ingenti quatitur formidine pectus
Concutit ossa metus; inficit ora lues.
Heu qualem mihi tortorem dominumque futurum
Fingebam; quanti tunc subiere metus!

Nam tenui si sub domino tam barbara passus ;
Heu qualis, si rex ille, futurus erit ?
Haerebam ante fores, dum fletus largior iret
Ex oculis ; dextra pene trahendus eram.
Panduntur tandem portae : pulcherimus adstat
Tum juvenis ; princeps Pharthenopaeus erat.
Obstupui adspiciens ; torvo non horridus ore ;
Non frons obtutu trux metuenda gravi.
Pulcher erat : magni latâ sub fronte micabant
Tunc oculi : et roseis gratia sculpta genis.
Non aurum, non gaza movet, non Inda supellex ;
In me unum spectans, haeret et ora tenet.
Et me complexus, referam ne aut dicta carebunt
Nostra fide ? quartus hic mihi natus ait.
Tres illi dederat regum de sanguine conjux,
Conjux heu regi pectore juncta pari.
Haec quae forte aderat lacrymis perfusa ; puelle
Infelix, haud tu matre carebis, ait.
Ipsa tibi mater ; reginae diceris Inde
Filius ; et natis junctus amore meis.
Quid facerem ? terrae pudibundus lumina verto
Haerens ; et vultu, quae nequeo ore, loquor.
Sensit rex curam ; et poenam miserata puelli
Regina, haec illi nondum, ait, apta domus.
Alter nunc quaerendus amor, studiumque fidesque,
Quo recte fingi parvula vita queat.
Nec mora : quaeruntur tunc protinus urbe magistri
Nondum una elapsa est hora magister adest :
En gravis incessu nigroque indutus amictu;
At lenis facie vir facilisque venit.
Dum miror, dum quis tacitus sit, quidve requirat,
Oscula dat fronti ; mulcet et ora manu.
Ne timeas puer, inquit habes qui pectora fingat
Frater ; an haec oculos nunc toga fusca ferit ?

Candidus at vultus; vultu non discrepat albo
Candidius pectus: postmodo facta probant.
Imponor curru; domus ingens accipit: aedes
Nobilium pueris tantum habitanda virum
Turba frequens, nostri vix annis discrepat aetas;
At facie et grandi nobilitate prior.
Hi me circumstant; intentis omnia lustrant
Luminibus; vultum formam habitumque genas.
Multa rogant: sed quae possem miser ipse referre?
Incertis patriam signo notisque loquor.
Commotos vidi; haec pietas, hic spiritus illis,
Candidula, ut genus est nobile, corda gerunt.
Vix solvor coetu, globus obstat; ducor in ampla
Aede statim; multa membra refecta dape
Tum pater, hoc illum gentes hae nomine donant
Incipit; amplexu me gremioque tenens:
Miraris, magnus quod rex, atque optima conjux
Externum tanta te pietate fovent?
Non nostra haec pietas; pietatis caelicus auctor,
Quem gentes miserae dedidicere Deus.
Est Jesus: nostro Jesus incensus amore
Dum premit humanum poena scelusque genus.
Hic Deus humana latitans sub imagine, terras
Accessit laetus millia dura pati.
Hic faciles nobis mores, hic mitia finxit
Corda; per hunc rabies cultus et asper abest
Si lenes vultus, si mollia lumina spectas,
Gratia si prona est pluribus, ipse facit.
Huic debeat pueri, quod forti pectore amoris
Tela premunt; pietas per sua jura viget;
Virgineum si non laedunt mala verba pudorem
Hoc etiam a Jesu pectora munus habent.
Adspicies aegres secura sede locatos
Exiccare pias vulnera foeda manus

Cuncta facit Jesus : occultas ipse favillas
Subjicit ; et mutat pectora , facta regit.
Quas igitur solves tanto promunere grates ?
Hunc tu despicies hunc et amare negas ?
Huic te non voveas ? hoc quem demissus adorat
Hinc atque hinc orbis , tu male durus abes.
Quid facerem ? sensi penitus mea corda moveri ;
Atque novas animum corripuisse faces.
Non mores , non facta placent , non dicta parentum ,
Et sunt , quae fuerant prodigia ante , joci.
Me nova forma rapit rerum ; nova corda voluptas
Mulcet ; ab aethereo vertice venit amor.
Jesus ille placet ; nihil est quo dicta refellam ;
Crescit , ut haec studeo discere , corde fides.
Est deus exclamo ; ignota praecordia flamma
Uruntur ; summo ex aethere flamma venit.
Amplector lignum ; multo quo vulnere foedus
Pendulus ille haeret: membra cruenta placent.
Coelesti perfundor aqua , sic pectora sordes
Nativas ponunt ; et nova vita mihi est.
Mutantur cultus ; sed non mutantur amores :
Nomine sim quamvis alter , amore tuus.
Crede mihi mater , veteres sub pectore curae
Crevere , ut cultu vita novata mihi est.
In te nescio qua vi , quo me pondere ferri
Sensi, ut sacrae animis incaluere faces ,
Ergo me quamvis laeto gratissima vultu
Sors juvat ; et cunctis vita referta bonis,
Quod tu mater , abes , absunt mihi gaudia vitae ;
Nulla mihi sors , et luce carere reor.
Quid mihi deliciae , quid regia munera prosunt ?
Te semel aspiciam , et reddita tota salus.
Quid mihi strata juvant , quid longae pabula mensae ?
Haec absint , gremio detur et esse tuo.

Ah quoties me cum lacrymas effundere cives
Aspiciunt, luctus quae mihi causa petunt.
Dissimulo : quis enim tenerum quae cura puellum
Urget, cui fuerit mater adempta sciat ?
Et me blanditiis certant lenire jocisque :
Sunt etiam quos non osculā ferre piget.
Omnia cura rapit ; tu mater maxima cura ;
Illa animo nocte restat, et illa die.
At tu mater abes ; cari tibi cura Pachiti
Nulla est ; ex animis excidit ille tuis ?
Ecquid adhuc restas, ecquid non quaerere curas ?
An maria et longae te tenuere viae ?
Iam tibi nota domus penitus ; jam cognita tellus :
Quid retinet ? facilis non tibi ventus erit ?
Si tibi res deerit, magna est hic copia rerum
Prompta ; atque hospitio certa parata domus.
Aethiopis pueri matrem te navita norit
Cui sit ad Italiam per medium aequor iter.
Ille tibi quot quot Regi praeberet honores
Offert ; si dicor regius ipse puer.
Est mecum nostra cretus de gente laborum
Iam socius longae et tanta per alta viae.
Nomen Margianus ; mecum rapuere Saboei ;
Et laetum simili regia sorte tenet.
Huic etiam mater sibi quae ploravit ademptum ;
Huic si forte adsit, quae sua fata refer.
Absentem illa vocat lugens, hunc vivere dices ;
Mecum et fortunae jam socium esse meae.

STUDIOSI ADOLESCENTIS NEAPOLITANI POST FERIAS RESIPISCENTIA.

ELEGIA VII.

Quid mihi vobiscum est doctae solatia pubis
Carmina? Phoebeum quis mihi poscit opus?
Cernitis ut tepido tabescunt lumina fletu,
Et Moesta infecit luridus ora color?
Aoniae citharae cantusque artesque Minervae
Cedite; non faciunt luctibus illa meis.
Hei mihi cur unquam pedibus via libera nostris
Facta est! libertas si nocitura fuit?
Ecquid Pausilypi colles et amoena vireta,
Laetaque puniceis rura benigna rosis,
Quid placidis tetigi percussas fluctibus oras
Sive tuas Anio, sive Lucrine tuas?
Haec potui monitus vitare pericula; stulti
Omnia sub rapidis mersimus aequoribus!
Ah quoties! cave dicebat, Lucille, magister
Non locus hic certis qui caret insidiis.
Si sapis a scopulis, et lene fluentibus undis
Abstineas; casus unda quot illa tegit!
Flebilior gemitu, lacrymis et tristior illic
Vox sonat; et vario gutture saxa strepunt.
Ah caveas ne te trahat improvisa voluptas,
Et semel his aures applicuisse nefas.
Formaque si qua tibi fallaci rideat ore
Ne pigeat celeri vertere terga fugae!
Est illic Siren tenerae insidiosa iuventae,
Quae recreat dulci, sed necat inde sono.
Cernis ut horrescunt et fractis ossibus albent
Cautes, et quanto sanguine lympha rubet!

Omnia in aereos abierunt irrita ventos,
Et nunc mens frustra non reparanda dolet.
Qualis arenosae vacuam qui forte carinam
Admovit ripae navita languet humi,
Qualis et in medio squallet moestissima campo
Vitis ab agresti depopulata manu.
Sic ego nunc doleo postquam mea pectore virtus
Excidit, et longo parta abiere die.
O ubi faecundi latices, quibus ora fluebant?
O ubi quae malis emicuere faces?
Nonne meo, quidquid vasto dat Tullius ore,
Quodque Maro praebet, pectore condideram!
Ipsa etiam aetherea sapientia fluxerat arce,
Et sacro incaluit spiritus igne meus.
Terve quaterve undam tetigi, multosque per annos
Quae legi infelix! abstulit una dies.
Ah nimium sapiens et fortunatus Ulisses
Qui cauta effugit littora dira rate.
Ceratoque suas medicamine dicitur aures
Struxisse, insanus ne iret in aure sonus
At misero quid nunc superest quave arte reponam
Lapsa? iter o Erato, nam potes, ipsa doce.
Sint Salebrae, sint et densis saxa invia dumis
Ascendam; spes haec, si manet una, sat est.
Non ego quod nimium sint pondera dura dolebo,
Non si doctoris aspera cura, querar.
Utqumque illa premunt, mea tali membra labore
Dulcius est turpi quam periisse situ.
Quid quae peccantem sequitur labesque dolorque?
Quid quas lex poenas, quas Deus ipse dabit?
Pallescat vultus: per cunctos defluat artus
Sudor: orontea myrrha erit illa prior.
Nou dicar stultus: non inter dicar olores
Anser; non capiet quae mala lingua strepit.

Hoc quae peccaro, liceat delere labore:
Magna voluptatis causa erit ille labor.

SALERNITANAE SCHOLAE RUINA.

ELEGIA VIII.

Siste pedes hospes: seris quas quaeris ab oris
Non hic Phoebeas fas tibi cernere opes.
Hospitio musas fuit excepisse Salerni
Gloria: nunc laudis vix levis umbra manet.
Non haec ingenio, non haec tribuenda ruina
Mentibus: at terrae sors minus aequa fuit.
Scilicet aoniae fortunam saepe sequuntur
Pierides; Phoebum regia dona trahunt
Utque suis mavors defendit viribus arces.
Instruit his sedes docta Minerva suas.
Tempus erat quo consilio praeclarus, et armis
Hirnus finitimis jura verenda dabat.
Atque huc cum Calabris Lucanus dona ferebat,
Appulus et nostras ipse timebat opes.
Vidit et auratas clamides effulgere regum,
Quadriugisque trahi per fora lata duces.
Tunc licuit facili musas arcessere voce,
Atque ultro Ascreus venit in ora liquor.
Mox tamen adverso perierunt gaudia fato;
Sensit et exteruas terra subacta manus.
Hei mihi quis referat quanto sua terra cruore
Fluxit, ut Enrici subdita sensit opes?
Vidimus heu captos duris sua colla catenis
Praebere, et manibus vincula ferre viros.

Vidimus errantes nullo custode puellas
Saeva cupidineae spicula ferre manus.
Ingemuit procul aspiciens Marcina, gravesque
Horret ab oppositis montibus ora neces.
Et voluit tantos in casus ducere Amalphis
Quas timuit classes orbis uterque suas.
Instat Pannonicos effudens ira furores
Regia; in Alpinas nil valet ire manus.
Ergo Levcosie disiectam protinus urbem
Luxit, flaventes dilaniata comas.
Luxit Parthenope quamvis minus aequa Salerno;
Sarrastesque Duces, Theleboumque domus.
Non tamen omnino simili cecidere ruina
Artes quas Çoi scripta dedere viri.
Quod non vi posset civis retinere nec armis
Perdidit; has unus mentis alebat amor.
Hunc nec Germani potuere extinguere conti,
Per quos cum dominis occubuere domus.
Nec quae mox Carolus in gentis jura ruinam
Vulgavit; studiis urbs stetit aucta suis.
Sed tandem veteri discedere sede coacta;
Lege nova victor jussit abire novus.
Quis posset tantas animo perferre ruinas?
Quisve ultra aonias ducere vellet aquas?
Ergo venenatis jam dudum habitanda Chelydris
Moenia Phaebei deseruere chori.
Nulla aegri responsa dein nullumque tulere
Consilium sera de regione viri.
Tectaque nunc frustra tanta celebrata Minerva
Quaerunt: vix servat nomina vana locus.
Tu patrum laudem pubes patieris inultam?
Vindice in ignavo jura nepote carent?
Aede quidem qua se possent nunc cogere musae
Fata orbant: sed mens quae fuit ante manet.

Rideat Euboicis tibi quondam debita campis
Sors, et Sirenem subdita culta colant.
Tu tibi corda modo Phoebea finxeris arte;
Latius imperium splendidiusque paras.
Non rerum arbitrium tibi, non moderamina gentis
Ardua; sed passu liberiora petes.
An tibi cum veteri ludo arbitrioque medendi
Mens rapta est? ista, quae tibi adempta, capis.
Non tibi Parthenope clausa est: patet omnibus aedes
Palladia: hanc pedibus fas penetrare tuis.
Non vi pugnandum, multos qua sternere possis:
Acribus ingeniis illa palestra patet.
Si minus in patria dabitur tellure nitere;
Littore ab externo quaerere serta licet.
Cedere fortunae potuit domus, integra perstant
Pectora: in haec summum jus minus illa tenet.
Tu tamen adverso damnosa et ludicra fato
Victa petis: ista est flenda ruina tibi!
Nunc ruis ad colles nunc per sata laeta vagaris
Exlex: quid tollunt quod tua jura doles?
Dignus servitio nulla cui pectora culta
Arte: animis dicunt debita regna Sophi.
Ergo cum pereas nec fata nocere nec orci
Spicula, at his dices non habuisse fidem.

AD NEAPOLIM IN CLADE TERSINII ERUMPENTIBUS E VESUVIO FLAMMIS.

ELEGIA IX.

At te Parthenope nondum morumque, tuique
Poenitet, et solitos pergis amare jocos?

Et pectis crines, et spargis flore capillos
Et praebes tepidis pectora nuda notis?
Hei mihi qui posthac insano finis amori,
Quid teneat lapsos per scelus omne pedes?
Nam quem non movit crudelis nuncia casus
Fama, quis in tantis non rigat ora, malis?
Cum primum eversas inimicis ignibus aedes
Audivit, gemitum proxima terra dedit.
Et per Germanas narratur flebilis urbes;
Itque per Hispanas tetra ruina vias.
Et quicumque animo superos, et munera curat
Aetherea, has poenas se meruisse dolet.
Et cavet aeternos contemnere crimine Divos,
Ne probet infensi quid queat ira poli.
At tibi non similem sentis instare laborem
Si furis, atque animo surgis in astra pari?
Si libet horrendae causam nunc disce ruinae;
Et nimis effusis moribus adde modum.
Non quod ab occultis templi penetralibus aurum
Verreret, aut Divum laederet ora manu.
Non quod finitimos infestis verteret armis,
Objecta est tantis urbs male nata malis.
Culpa erat insanis nimis indulgere choreis;
Et certa celeres lege movere pedes:
Et sacra pueris immixtae luce puellae
Timpana pulsabant: hoc scelus urbis erat.
Hoc movit flammas, hoc saxa immania montis
Rupit, et ignitis hoc via facta globis.
Hoc ruit, et miserum jacet urbs pulcherrima, bustum;
Hoc errat terris gens viduata suis.
At te libertas mojorque licentia solvit;
Libertas poena jam cohibenda pari.
Non sentis tumidum gemitus iterare Vesevum?
Te notat, et flammis increpat ille suis.

Iamque in te credas liquidas incurrere flammas,
Et non vitandam fulmina ferre necem.
An quod Sebetus vitreis interluit undis,
Diluviem tectis parcere posse putas?
Nec te Crateris totabitur ora, nec ulla
Aequora; nec longae millia quinque viae.
Innumeros habet ille aditus, penetrabilis ignis;
Nec timet aera, altas exuperatque fores
Ille etiam aerios cognovit labilis orbes;
Fit nubes, rapidis densa ferenda notis.
Quid referam ut magna enixus vi tollit in auras
Mons liquidas cautes, saxaque trita jacit?
Fit pluvia, et vasto circum sese agmine fundit
Pulvis, et arboreas ingravat ille comas.
Quid fuit horrendae jaceant quod tecta ruinae
Pompei? pluvii fluminis unda fuit.
Non vallem liquidum implevit camposque bitumen,
Non fluxit picea mons patefactus aqua.
Intumuit subito vertex; teterrimus imber
Fluxit et objectos est jaculatus agros.
Et misera obruitur tellus, latet obruta tellus;
Et caret heu justa gens malecauta fuga.
Haec tu dissimulas, et sancta oracula rides;
Et te securam clade premente putas?
Ergo Parthenopen inimicis ignibus ustam
Dicent, Tersinii qui modo fata canunt.

CUM DECESSISSET IMMATURA MORTA MICHAEL GABRIELE E SOCIETATE JESU OPTIMAE SPEI ADOLESCENS.

Auctor, arrepta occasione, incommoda loci, ubi ludus literarius constitutus erat queritur; ac Antonium Sancium Provinciae Praesidem adhuc in vivis agentem rogat, ut illa sua ope avertat.

ELEGIA X.

Cara iuventa vale, dulcesque valete Camoenae,
Tuque diu studiis urbs celebrata meis.
Ultima vox haec est, hos nostri pectinis ictus
Extremos, Pallas cui mea grata, capit.
Non me Loysidem, non me celebrare Mariam
Audiet haec numeris area aperta meis.
Et si quid nostri ingenium juvere labores,
Uno illud casu nostraque vita ruit.
Vix tres heu misero! soles, aut quinque supersunt,
Ultima Romani tempora Martis erunt.
Aspicis, ut lenta consumptus tabe sepulchro
Flos iuvenum Michael, corpus inane jacet?
Ille mihi extremam vicinam nuntiat horam;
Indicium fati sunt sua fata mei.
Ille quidem vix vigesimum superaverat annum,
Firma juventutis vita vigebat ope.
Ingentes valido florebant pectore vires,
Oraque pingebat multa genasque rosa.
Aspiceres glaciem, et gelidos contemnere ventos,
Perque imbres facilem ferre nivesque pedem.
Non illum rigidae vincebant flamina brumae;
Sprevit et aestivas Sole furente faces.

Et longas vigilare horas, et volvere libros,
Atque vices rerum pendere, ludus erat.
Iussus ad hanc venit Phaebi penetrale, palestram;
Haec misero mortis causa palestra fuit!
Non illum puerum et gravioris cura Minervae
Absumpsit; juveni cura erat illa levis.
Causa mali locus; haec macie domus atterit artus,
Cum coelo immitem combibit ille necem.
Hanc mihi jam rugis contracto, destinat aedem
Delius; ergo eadem non mihi fata manent?
Sentis heu! quantus squalentibus insidet imber
Tectis, quaeque humilem diluit unda locum?
Non haec Parthenopes, pars est inamabilis udi
Picenti, similem vix habet jlva locum.
Altae circum aedes, eductae ad sidera moles;
Non ullus Zephiris est aditusque Notis.
Imminet a tergo plantis uberrimus hortus;
Pronus ad has pluviam, quam bibit hortus agit.
Ergo interceptam saxis obstantibus undam
Area vix tenui condita calce tegit.
Conclusae luctantur aquae, perque alta ruentes
Spiramenta, locum, qua via facta, meant.
Quis capit errantes? non moenia firma receptant;
Haec quoque continuo foeta vapore fluunt.
Sol superest; udi siccantur Sole vapores;
Hac quae cuncta urit flamma abiguntur aquae.
At Sol hinc refugit, seu quod praecelsa domorum
Excludunt, seu quod foeda inimica palus.
Ille quidem ex alto vultus ostendit Olympo,
Vellet et effusa tecta fovere face.
At subito ex oculis missam vanescere lucem
Cernimus; inviso se eripit ille loco.
Ergo serpentes, aut circum tecta volantes
Corpora lethales aggrediuntur aquae.

Non densae his vestes, aut pinguia membra resistunt;
Curae conficiunt, attenuatque labor.
Ergo deficimus; penetrabile frigus inertes
Contrahit, atque imbris victima grata sumus.
Hac ego peste cado; ternos hoc corpora menses
Poene mihi fluvio tabida facta fluunt.
Hoc est cur rauco vix tenuia mittimus ore
Carmina, nec splendor, qui fuit ante, nitet.
Exilit ingenium, cum torget vena calore,
Datque alas menti ver animisque faces.
Aspicis ut bruma volucres algente quiescunt,
Vere novo dulci per sata voce sonant?
Hac regimur vates, hac carmina lege tenentur,
Cum coelo turget, contrahiturque jecur.
Ergo per Autumnum campos captamus apertos,
Cum nive terra riget, sistimus ante focum.
Mutat forma vices, cum brumae tempora Phaebus
Temperat, et capiti visque calorque redit.
Tum cytharae redeunt digitis, tum plectra novantur,
Et repetunt musae, quae tacuere sonum.
At mihi non varium tempus, non discolor annus;
Curriculo coelum temperieque caret.
Una locum celebrat tempestas, tempus et unum,
Uni mens domino musaque nostra subest.
Humidus ut semper locus est, atque obsitus umbris,
Perpetua in stomaco tussis anhela, lues.
Ah! quoties a me: cari petiere sodales
Oh! ubi vis animi? pristinus ardor ubi est?
Quando erit ut veteres repetat collecta iuventus
Te duce Parnassum scandere docta choros!
Quid vetus illa tacet nobis dilecta camaena,
Cessatque ingenium? quae tenet ora sopor?
Quid dicam? presso contemnimus ore querelas:
Vix digito coelum fataque iniqua noto.

At quanam hoc nostri culpa meruere labores ?
Crimine quo studium demerucre tuum ?
Quis non commemorat qua tu pietate rogantes
Fovisti ? cura quae caruere preces ?
Si tu peccasti (quamvis peccare benignae
Difficile est) pietas unica culpa fuit.
Quod nemo queritur, quod nulli causa dolendi,
Quod quivis felix ; hoc grave crimen habes.
Per te sacra novo dudum fulsere nitore,
Redditaque est templis cura, vetusque decus.
Nunc etiam nobis, cum vinctos carcere credis
De te quod laudet carcere vinctus habet.
Ludus erat reliquos, graviori ludus egebat
Cura, praesentes ille petebat opes.
Spreverit hunc alius ; sedes impune camoenae
Spernit, cui nunquam grata camoena fuit.
At quis non queritur Sanctum contemnere ludum ?
Illi tu invisus, an gravis ille tibi ?
An tibi lingua minus verax, cum munera Phoebi
Landabas ? studio quo simulasse putem ?
An qui contemnit, verbis confirmat amorem ?
Aut per vim curae fit studioque mora ?
Scilicet ingenti superanda incommoda cura,
Magnaque diluvies discutienda loco.
Non domus est Pariis ingens statuenda columnis.
Quaerendi aut lapides, marmoreumque decus.
Murorum foeda est labentum aggesta ruina,
Est lapidum moles ; haec removenda loco.
Hic stabulat vapor, haec undae per inane vaganti
Iam statio, morti haec tuta parata domus.
Quis timet hoc ? quis non deformes odit acervos ?
Cui non vis pedibus pellere, ferre manu ?
Iusseris, ipse humeros parvae supponere cistae
Haud vereor, facilis turba sequetur onus.

Aut pius in moles, congestaque saxa recusas?
Heu tibi prae vita saxula cara potem!
Quid loquor? heu! Sanctum mors importuna volentem
Abstulit; heu rapidis tradita vota Notis!
At te siderum, juvenis, penetrale recepit,
Ver ubi perpetuum, nullaque bruma riget:
Id precor, insolito si iuncti foedere amoris
Viximus, una ambos possit habere domus.

DISCIPULI AD AUCTOREM, CUM SUBITO RELICTO LUDO SURRENTUM PETIIT.

ELEGIA XI.

Si vacat et menti concedunt otia curae,
Haec non invito lumine scripta lege.
Illa tibi quondam gratissima turba juventae,
Quod duce te didicit, flebile mittit opus.
Nos tua quod decuit speravimus ora videre,
Et nostra alternim conspicienda dare.
Forsitan et lacrymis rorantes spectat ocellos,
Flectitur et votis diximus aequus erit.
Saepe manu postes pulsare, et quaerere vernam
Ad tua qui ferret limina, cura fuit.
Quin aedem interdum penetrare: et scandere sedem
Summam; perque aditus impetus ire fuit.
Quid quae quotidie dedimus mandata magistris
Dicimus, ad nostras, qui doluere preces?
Ah quoties quid te nostris averterit oris
Quaerimus, an macies, et mala firma salus?
At Surrentinos te nave petisse recessus
Fama est, nec ventos, nec timuisse nives.

Ergo quod immeritis Musis aufertur, et urbi
Upilio in duris montibus asper habet?
Si tibi Surrentum vicinaque saxa placebant
Quae cura ad nostras egit adire domos?
Cum tua quis rapiat merito mens icta fatiscit:
At levis optato poena carere bono.
Quis non regali duci per compita curru,
Quis non gemmatum limen habere velit?
Sed tamen immitem non est qui dicere sortem
Audet, quod parvam praebuit illa casam.
At si dispereat modo qui florebat agellus,
Aut subito terra tecta tremente ruunt:
Damnamus justis immitia fata querelis,
Nostraque coelestes jure querela movet.
Te nobis Superi vix tanta optantibus aequi
Donarunt, Superum munere noster eras.
Non perit illa dies, cum qui regit omnia praeses
Edixit, vester Coppola doctor erit.
Quot capiunt animo trepidantes gaudia nati
Cum repetit sero a littore tecta parens;
Quam viget, et roseo fulget mutata colore
Jungitur optato cum nova nupta viro:
Talis mulcebat praecordia nostra voluptas;
Causa magisterii spes erat una tui.
Quid bene compositae pubi jucundius usquam est,
Quam certa Pindum scandere posse via?
Quam multi optarent Musarum accedere fontes!
At dux quo pateat semita saepe deest.
Sunt qui dum mentes informant corpora frangunt;
Estque manere minus quam superare grave.
Te duce lenis erat labor, atque ascendere gratum;
Tecum dulce fuit regna vel ima sequi.
At nunc heu tanto collectos nomine casus
Quicumque hinc cogit te procul ire, premit.

At quo nos tandem vertemus, quaeque vagantes
Ora, animis praebens otia justa, capit?
Heu miseri! ut tenero amisso pastore capellae
Erramus, saevi praeda futura lupi.
Non est qui nostris tanta vacet urbe querelis
Angulus; ad nostras perstrepit aura preces.
Hic ad mirantes narrat sua fata parentes,
Quaeque via ingenio sit capienda rogat.
Saepe aliquis mane errantes per compita cernens
An vacet, et quae dent otia festa petit.
Largus ad haec tumidis erumpit fletus ocellis;
Vixque sonat caeus lingua: magister abest.
Quis rapuit, qui vos vexant hominesve Deusve?
Haerent, et subitus tum stupor ora tenet.
Quale nefas tantum potuit afferre laborem?
Crimine quo pietas pristina victa fuit?
Nonne tuo liber flectebas omnia nutu;
Vitaque erat dextrae credita tota tuae?
Non tibi ducendos mentemque animumque dabamus;
Ingeniique tuis legibus ibat opus?
Nec si terrebas cessantes lumine mentes,
Ora minus nobis curaque grata fuit.
Tu nos certatim coeuntes mane videbas
Oscula tum manibus figere mille tuis.
Et circum te conferta exultare corona,
Ceu pastore pecus caulam adeunte solet.
Dixisti, tacito mea sumite dicta labello;
Et nemo in tanto moverat ora choro.
Quae modo dictavi reddat mihi quisque, jubebas:
Ausus et ad vocem nemo sedere tuam.
Magna erat in nobis non splendida vita, fatemur,
Culpa et non tanto pectora digna viro.
Adsuetus lectam per Pindum ducere pubem
Cui pater Ogniades jura verenda dedit:

Sprevisti pueros varia regione coactos
Quos nisi maternae non docuere manus.
At si forma minor nobis : gratissima certe
Illa tibi species simplicitatis erat.
Et si quae capiunt voluisses dona magistri,
Non foret in talem dextera avara virum.
An quia non nostris quaesita est gratia donis,
Libera sic timidas despicit illa preces?
At tu nos patriae et coelo te fingere dixti :
Si nil promereant nomina tanta , mane.

MAGISTER RESPONDET.

ELEGIA XII.

Ut vestra in nostram venerunt carmina dextram ,
Extempo lacrymis immaduere genae.
Moverunt gemitus, justae movere querelae ;
Et quae nequaquam vos meruisse reor.
Sed num tantorum fuimus nos causa malorum ?
Per me non meritos tanta procella premit ?
Scilicet infandum patior dum pectore vulnus ,
Auctorem nova me vulneris ira facit.
O utinam quanto fervent praecordia fluctu ,
Quot lacerant animos tela , referre queam?
Damna pecus patitur si pastor deserit antrum ;
At nil cum vacuum est pastor ovile dolet ?
Vos circum errantes impletis questibus urbem ,
Immotas nostras creditis esse genas ?
Ad Surrentinos aufugi nave recessus ,
Ut fugit erepto conjuge sponsa domo.

Hei mihi quis posset tantas audire querelas
Quas mihi nunc socii nunc notus ipse ferat?
Possem equidem siccis oculis spectare ruentes
Ad pestem, ut pecudes quas lupus ore premit?
Non mihi tam duros animos, obtusaque coelum
Corda dedit, quae nil fata aliena movent.
Quos ego festivo faciebam lumine laetos,
Hos videam madidis triste rigere genis?
Quid fecit Niobem duram sine sanguine Cantem?
Phoebea soboles saxea facta manu.
Nec Priamus Teucro foedare in pulvere crines
Horruit, ut nati funera fama tulit.
Nonne ego materno vos fovi semper amore?
Non cari ut patri virgo tenella suo?
Credite quot calamo sunt nomina tradita chartae
Tot sculptae facies oraque fixa sinu.
Has nunc immiti avellit vis improba dextra,
Quo possem tantis non miser esse malis?
Cui gravius pectus, atque ad discrimina vitae
Firmius ingenium quam tibi, Paule, fuit?
Te tamen ingenti laniari vulnere dicis
Cum Galatae immiti sorte premente dolent.
Quae fuerunt lacrymae gemitusque et vota Mileti
Cum fore perpetuum dixerat esse vale?
Immotam tanto perstant mihi pectora casu?
Aut si commoveor mollior ipse puter?
At non sub dura finxere haec pectora Stoa,
Queis magna in damnis culpa dolere fuit.
Et summam laudem qui nil sentiret habebat,
Optimus et quisquis saxa referret, erat.
Me pater Ogniades divina finxit in arte;
Et sua in exemplum corda imitanda dedit.
Hei mihi quas vasto capiebat pectore flammas
Ille: in mortales quantus amore fuit!

Certus ab immani pueros prohibere veneno,
Quo vita et morum vis male firma cadit:
Quod veterum pietas fieri vix posse putavit
Fingendos tectis colligit ille suis.
Nunc regit errantes, timidos nunc roborat, acres
Temperat ora, alacres munere, laude fovet.
Haec me cura suis instructum moribus urget,
Haec facilem pueris Paarthenopique facit.
Hoc est cur nulli potuerunt vincere casus
Quin sacros mutem saepe Helicone lares.
Ergo jure meo crudescit pectore vulnus,
Ceu si cara mihi mater adempta foret.
Non mihi quae fuerat festivo est gratia vultu;
Et vigor et species et color omnis abest.
Non aliter rigeo quam brumae tempore vitis
Cui dura agricolae brachia falce secant.
Aut cum deciduis viduatur frondibus arbos,
Quam venti et densae jam tetigere nives.
Saepe aliquis lacrymis subito rorantia spectans
Lumina, tristitiae quae mihi causa petit.
Et quamvis nunc hoc causer nunc sedulus illud,
Sat poena indicio proditur ipsa suo.
Ecquod erit tristi tandem lenimen amori?
Tempore an haec aliqua arte levanda lues?
Non ego jam vobis neque vos mihi causa doloris;
Immeritis aeque tempora saeva nocent.
At superum manibus torquentur tempora, magno
Cuncta supercilio stantque abeuntque Dei.
Si mihi vos coeli conjunxit Numen, et ipsum
Mox insperata vos mihi reddet ope.

IN OBITU ANGELI ANTONII SCOTTI.

ELEGIA XIII.

Ite procul calami; frangantur plectra; libellos
Tollite; tuque chelis cura molesta vale.
Quid mihi cum Latio, quid Pindi culmina conor
Scandere, quid vates Pieridesque juvant?
Tu quoque Sthoa vale; vos alti tecta Lycaei,
Arsque Stagiritae, socraticique modi.
Fallitur infelix, et veri oracula laedit,
Haec qui mortales posse beare putat.
En gelidus cinis est, et inanis pulvis in urna
Insigni Scottus nobilis arte iacet:
Omnis abest species; iuxta stat fracta tyara;
Et sparsi libri, gemmaque rapta manu.
Vix superest nomen, quod mox abeuntia condant
Saecula; vix aetas sera fuisse sciet.
Haec ego lamentans: congestos dextra libellos
Sparserat; in vultu frigidus horror erat:
Cum subito increpuere fores, et cardine verso
Adstitit haud visis ante figura notis.
Late luce micant oculi, stat fronte venustas;
Cinxerat hanc variis texta corona rosis:
Puniceus pectusque humerosque tegebat amictus,
Collaque distinctus lembus obibat acu.
Hic me complexus: vanos depone timores,
Haud externus, ait, qui tibi vultus adest.
Ille ego sum, quem tu lacrymis, et questibus urges,
Quemque redire velint, qui periisse dolent.
Quid tu Pierides, quid Phoebi munera damnas,
Et velles sophiae non tetigisse domum?

Quod tibi non parcunt phoebea in sede recepto
Fata ; nec aeternum vivere posse datur ?
Tam tibi vita placens, quam nunquam ponere velles ?
Tantam vim vestris rebus inesse putas ?
Adspice qua flamma niteo, quo splendeo in auro ;
Quae vestit vultum gratia, quaeque caput.
At maiora adsunt, quae nunc mortalia fallunt
Lumina, siderea condita in arce latent ;
Quae me divitiae, quae mulcent gaudia, nec fas
Dicere, nec cuiquam mente tenere licet.
Accipe nunc : tanto quae nostros auxit honore
Causa animos ? virtus hoc mea munus habet.
Quod sprevi, quae foeta animis ingentibus audax
Mens peperit, superis impia bella moveus ;
Quod forti eloquio quae funderet impius orgens,
Italiam totam, Parthenopemque dedi ;
Quod leni studio iuvenum praecordia finxi,
Meque dedi hospitibus, pauperibusque ducem,
Hi flores hacc serta ornant, celsaque locato
In sede, aethereis fas mihi adesse choris :
Et puras haurire undas, et ducere succos,
Sideribus per quos aemula vita viget.
At mihi quae vires, quo tanta movere tyranno
Tartareo possem praelia, tanta pati ?
Parvus eram, tenuem dederat fortuna parentem,
Commune ingenium, parvula in urbe locum.
Una mihi virtus, et quas tu despicis artes :
Lata per has nostro semita facta pedi.
Illae aluere animum, per doctos fama labores
Venit ; per dumos gloria stravit iter.
Tum mihi vel magni proceres cessere paventes,
Et timuit vultus impia turba meos.
Finge tibi indoctum, cui magni carta Platonis
Ignota, aut numquam pagina lecta Thomae :

Quid facerem ? qui me vellent audire docentem ?
Aut ad me durus verteret ora sophus ?
Ergo me stultum, an sapientem dicis in illa
Cura, aut cum fato curam abisse meo ?
Ah ! redeant anni, cum primas doctus ad artes
Pectora formabat, ingeniumque chorus :
Hoc doleo, si quid fas corda dolere beata,
Ingenio poteram condere plura meo.
Forsitan ah ! plures numerarem ex hoste triumphos,
Maior et ornaret lux speciesque caput.
At tu ne fato cedas, et mitte Camoenas
Spernere, quod doctos mors rapit atra viros.
Omnes mors aequat, sed sors non omnibus una ;
Iudicium est : varios illa habet aula gradus :
Si cui mens, posset qua plures ferre labores,
Verticis aetherei huic summa tenere datur.
Dixit : et in tenues abiens evanuit auras,
Altera tunc mihi mens consiliumque fuit :
Et grati libri, et doctorum cura laborum,
Quae mors nulla rapit, gloria magna manet.

DE HISPANICIS IN RELIGIONEM MOTIBUS.

ELEGIA XIV

Si te deserui moesta o Elegeja, nostros
Ne dedigneris rursus adire lares.
Exiguam dederunt requiem mihi sidera ; laetis
Gratia carminibus tanta canenda fuit.
At nunc illa vetus rediit mihi causa doloris,
Triste sit ut, patitur tristia pectus, opus.
Nostra quidem nulla tentantur pectora cura ;
Vitaque praesidio nostra beata Dei est.

Non ego quod flavas tempestas stravit aristas;
Non doleo quod sit grandine tacta seges.
Non mihi defunctae texenda est naenia matri;
Nec fallax socii lingua dolenda mihi est.
Non ea mens nobis, quam nil aliena fatigent
Damna: insons si dolet aeger ero.
Cernis ut insano dudum lymphata furore
Gens Hebri in coelum tela inimica tulit?
Hei mihi quis siccis haec cernere possit ocellis?
Relligio est, quam vis illa superba petit.
Relligione vigent animi, curaeque quiescunt:
Perfugium miseris illa, aditusque reis.
Si mihi spes superest saevis cum jactor ab undis,
Si non dejicior fluctibus, illa facit.
Illa mihi mater pleno quae me ubere pascit
Nulla per hanc vincunt praedia nulla lues.
Hanc ego jactatam video penitusque procella
Oppressam; atque orci spicula saeva pati.
Hei mihi qualis erit luctus, quae nubila gentis!
An causam haec nullam, qua doleamus, habent?
Qualis materno divulsa a corpore vitis
Continuo in sulcis languida facta jacet;
Exuctae squallent frondes, humore racemi
Amisso pallent; siccaque gemma perit.
Haec Hebri facies; haec sors tristissima terrae:
Hanc urbes faciem: haec vulnera civis habet.
Scilicet una salus nobis, si pectora sacra
Unda fovet, culpae quae mala flamma terit.
Si deerunt latices quos terris sidera mittunt:
Nulla est vulneribus, cura animisque salus.
At non omnis aquis coelo venientibus aptus
Est locus: et fontes unda habet illa suos.
Una domus gens una Deo quae subdita credit:
At caput una unum gens habet atque domus.

Hic rerum custos huic omnis copia vitae
Credita ; ab hac omnis cura petenda manu.
Ergo si Roma campos vis scindit Iberos,
Quae superest genti gratia quaeque salus ?
Aret ager ; squalent urbes, et pectora longa
Heu nullo urantur fonte rigata siti.
Tunc aegras subito mentes malus occupat ardor :
Ah conctis tantae flenda ruina domus !
Non ego vana feram : sacro solatia coeli
Deficiunt Hebro deficiente gregi.
Quae non illa tulit coelo gratissima tellus
Queis felix templi vis pietasque fuit ?
Aspice Tostatum cujus, cea flumine vasto
Athereus terris humor ab ore fluit.
Quid referam Canf libros, quid scripta Suarj !
Quaeque Nierembergus, quaeque Granata dedit ?
Non tales agris turgentia viscera gratae
Discludunt nubes, aridaque arva rigant.
Ut visae nobis e coelo currere Ibero
Queis potata fides erigeretur, aquae.
Tu quoque qui nostram facili regis arte juventam
Ogniades, illo e germine semen habes.
Illic te toties vultu spectavit aperto
Jesus, dum legeret praelia ad ista ducem.
Atque ignes abiens cara in regione relinquit,
Queis gens Saberio tanta ferente calet !
Nos etiam flammas illas sentimus et ignes :
Inde animos resides qui ciet ore, capit.
At nunc heu simili flammaque undaque carentes
Indigna auctores fata salutis habent !
Stirpes stare vides ubi quondam mille petenti
Florum grata polo vim Salamanca dabat.
Et deplorata procul Alcala squallet arena
Quae meminit vasto intumuisse mari.

Ah nostram fateor tanto discrimine mentem
Deficere; et victum pene dolore mori!
Hanc mecum, superest si vita, Elegia querelam
Hic repetes: nec me mollia plectra juvant.
Forsitan haec flectit Superos, et victa dolore
Ad campos pietas, unde abit, ultro redit.

IN OBITU CLAR. EQUITIS FRANCISCI D' AVELLINO.

ELEGIA XV.

Nunc penitus, nunc musa mihi pellenda latina:
Haec dare Cecropiis hora vale numeris.
Ecquis erit nostros aequa qui colligat aure
Cantus; qui docili ferre potest animo,
Quae non e trivio canit et per compita vulgus;
Nec cui laus flavas pectere prima comas;
Sed quae mens magnos animos imitata latinos
Concipit et numero fert lira summa nove?
Una senescenti latio spes una labanti
Cecropiae, et doctis tu decus ingeniis
Restabas; tu magne aevi Francisce Vetusti
Interpres, profugo perfugium latio,
Et male neglectae requies atque ara Camaenae.
Te nunc heu nobis eripiunt superi.
Te fata hinc tollunt crudelia: namque vigentem
Tempore adhuc ne dum pectore et ingenio,
Quae lex annorum, ratio quae, juraque vitae
Heu nostris poterat te eripere e manibus?
Quis tibi non totis animis et pectore junctus?
An cuiquam gravis hic vitaque grata minus,

Quam vellent procul aversam? quin quis tibi longos
Non caperet quales Nestori abire dies?
Si veterum gratum studium, satis aequa recenti
Mens genesi: tempus pectore utrumque tuo
Complexus quicumque aderant pietate fovere
Alloquioque aegros cura levare fuit.
Mente potens, verbis facilis; sublime magistri
Eloquium, mitis ora parentis erant.
Si sapiens tibi non uni sapientia duro
Clausa animo: multis semper aperta domus.
Heu memini qualis fueris, tibi credita quando
Pagina judicio nostra probanda tuo,
Qua crux dicta mihi, et quo Petrus in arce labore
Romulea hanc posuit; quaeque tulere viri
Illam amplexati: trepidum et tua dicta verentem,
Qualia Aristarchi qualia Quinctilii.
Me miserum! quae tunc animum dementia caepit
Ut tanto auderem carmine tanta loqui?
Terrebant proceres, humilis sententia vulgi
Terrebat; nec non Palladis arte novae
Qui compti fulgent, quos nil nisi dulce levique
Ore malum ductum carmen, inane melos.
Haec mecum; at penitus formidine nostra soluta
Mox corda, et trepidis addita vis animis.
Tu me complexus tenuisti; atque oscula fronti
Non puduit, tantum te studium rapuit!
Addere: tum dubiis haerentem lumine mentem
Firmabas: partes membraque cuncta operis,
Et genus et formam ingenio scrutatus acuto,
Omnia judicio nobiliora tuo
Fecisti: trepidae jam tum fiducia menti
Addita: tum latebris surgere posse suis,
Roma mihi sic dicta putavit: quo meus egit
Me miserum mentis fervor amorque vagum?

Heu ubi vir sistis? qua te reperire licebit?
Rursus ubi tecum tanta loqui atque frui?
Quo te appellabo si quis mea dicta refellit?
Auctor abest famae; fama mea illa viget?
Et si me similes nunc phoebus nectere cantus
Suadebit nostrae quae capit aequa lyrae
Dicta auris? cytharas igitur cum pectine praestat
Frangere: quod pretium quod decus esse potest
Dehinc Musis? quinam excipiet, quaenam hospita sedes
Postea habet? Te omnis spes abeunte obiit.
Ergo te lacrimae merito gemitusque sequntur
Quos cum cive omnis advena fundere amat.
Pompejos aliquis atque ustam ex alpibus Herdyn
Accedens dubio dux ait ille pedi,
Ille ubi dux caecas modo quo ducente latebras
Mens adiit? nostro quis favet ingenio?
Verte pedes hospes: aeternum devius erras;
Lux oculis, pedibus nulla parata via est.
Dicam fata; meum haud pigeat sociare laborem;
Immiti interpres morte ferente obiit.

LIBER IV.

AUCTOR DE SUO IN D. ALOYSIUM STUDIO.

ELEGIA I.

Quaeris, cur nostris amor et sua dona libellis
Saepe sonant? fateor nos quoque laesit amor.
Non vatem Siren me dicit? foedere iunctus
Semper amicitiae vatibus ille fuit.
Tolle semel pectus parva violabile flamma
Vatibus, una animos, et leve tollis opus.
Illa quidem multis nocuit male sana; suumque
Hac nunquam vellent incaluisse jecur.
Haec fecit tectis ut iussus abire paternis
In Getica moriens Naso iaceret humo.
Haec et non ulla medicabilis arte Petrarca
Per multa erravit dissita regna gemens.
Quid referam qua Lesboae labefacta puellae,
Quaque, Tibulle, tibi tabida corda lue?
Cura tamen placet; est aliquid te posse canendo
Dicere quae mulcens vulnera flamma facit.
An fax una? animos vatum ferit una sagitta;
Et qui non oculis uritur usque riget?
Sunt duo, si nescis, diverso e semine amores:
Hunc Venus orta undis: hunc parit orta polo.
Unum opus utrique est, transfigere pectora telis:
Hic iaculis pharetram gestat et ille gravem.

Arte tamen studioque impar hoc discrepat ille,
Quaeque ferunt alia vulnera lege nocent.
Hoc quae laesa dolent oderunt pectora coelum,
Foedaque amant Solis exsaturanda probris.
At queis illa cadunt e coelo vulnera, tellus
Sordet, et una tenet cura, quiete frui.
Haec nos sentimus, quos virtus sede paterna
Excutit: et tenui vult habitare domo.
Illa quidem census suadet dimittere avitos
Et nulla atratam cingere lege togam.
Omnia cum rapiat, iam non rapit illa pudicum
Pectus: et ingenium, quod fuit ante, manet.
Hei mihi! quam facili violantur pectora tactu,
Quae non ulla tenet cura nec alter amor!
Ad multas duratur opes, torpetque fruendo
Ingenium; studium, quod ciet, urget idem.
At quoniam me non rerum spectacula egenum
Circumstant, vacuum vel levis aura movet.
Urimur; et magna (nam quid pudet esse fateri?)
Cogimur heu pectus saepe dolere face.
Accipe nunc nostrum feriant quae spicula pectus,
Quae teneant mentem vincula facta mane.
Ante oculos mihi qui rapiant vultusque genaeque;
Mollia verba, oculi, compositaeque comae.
Adde levem cantum et quae blandula carmina fundit
Siren, ingenium vertere nata virum.
Haec mihi coelesti in sontes mucrone furenti
Haud verita, aversus quid fugis, inquit? ama.
Addiderat quoque quae potuissent flectere dona:
Et vota, et blandas insidiosa minas.
Quid facerem? miseri tremuerunt pectora vatis,
Visaque mens fato cedere victa suo.
Sed male iactatam, et iam pronam ad vulnera mentem
Insigni adveniens occupat ore puer.

Qualis erat dicam, tu si mea vulnera causa
Haec careant, dices, simque in amore reus.
Non flavus crinis, facies non perlita fuco;
Nulla oculis levitas, nullus in ore iocus.
Vultus erat tenui macie suffusus; et albo
Ceu nive sparsa seges, tincta colore gena.
Demittit, ceu quem tangit reverentia frontem,
Frontem caesaries collaque nulla tegit.
Sed temere sparsus nulla fluit arte capillus;
Caetera vulgari condita membra sago.
Pauca refert; sed quae mutari nectare nolles:
Talis virgineo e gutture spirat odor!
Verba manus sequitur: certum sed dextra movetur
In numerum: pectus, si tacet, illa premit.
Flore nitet facies; non ulli cognita florem
Gratia, quae toto fulget in ore, facit.
Quidquid amem praebet, factorum plurima spondet,
Si quaeram, sequitur gratia maior opem.
Hei mihi! quis tantum nunc posset spernere amorem?
An qua nunc uror, flamma dolenda mihi?
Loisides hic est; Lodoicis dicar amore
Captus; si sapiens hoc minus igne, fero.
O mihi si faciles essent variare colore
Vultus, et saxis ora referre manus.
Illa mihi ante oculos parva depicta tabella
Pendula ab adverso pariete vita foret.
Est tamen absentem, qua possim fingere amantem
Ars mihi, Loisiden illa referre potest.
Parva Camoena mihi; vetus est ars illa Camoenae,
Quaeque colore Scopas; voce poeta refert.
Ora quidem haud referam; levis at iactura carere
Vultu; si penitus corda videre licet.
Haec mihi Musa refert; haec magna effingere musis
Virtus; his nullis conspicienda patent.

Quid si quae scribo non aequus spernit amator ?
Haec mea cura : mea cura medenda manu.

D. ALOYSII ORTUS IN DIE OBITUS D. STANISLAI.

ELEGIA II.

Koskhiades obiit, sancto quid fiet amori,
Qua vagus errabit, quam petet ille domum ?
Verte petes, qua Ticinus Mantoa pererrat
Arva, tibi qua non gratior ulla domus.
Non tu marmoreas gaudes habitare columnas,
Nec tenet insigni veste operire sinum :
Casta placent niveos imitantia corda lapillos
Quae non ulla lues, nullaque noxa notat.
Qua Gonsagiadae se attollunt moenia gentis
Vade amor, atque domus interiora pete.
Invenies illic quamvis angusta recenti
Corda ortu ; jaculis sed tamen apta tuis ;
Non deerunt roseaeque genae, flavique capilli,
Caeruleique oculi, floriferumque caput ;
Illic kostchiadis aderunt risusque, jocique,
Quotque tibi amplexus, osculaque ille dabat
Kostchiades titulos pro te contempsit avitos,
Nil tibi si placeat ducet et ille decus.
Est huic aula nitens, sunt picta aulaea, toriqne,
Si jubeas forti conteret ille pede
Loisiden cernes qualis modo kostcha paterna,
Ut tibi se jungat verba severa pati
Hunc suades oculos non unquam attollere, paret :
Dilacerare velis corpora, nulla quies.

Mox tecum profugus Romanas perget ad arces
Kostchiadisque comes non remorandus erit
Hunc tu villoso tectum spectabis amictu,
Servitioque humeros sollicitare pari.
Ergo complexus figis sub pectore thoedas;
Loisidi fiet par in amore dolor.
Languet et accensis quaerit lenimina membris:
Loisidi lacrymae, kostchiadi unda dabat.
At tu sis aequus fesso, paulum abde sagittas;
Si nimium instabis non erit ille tuus.
Cogeris ire procul, juvenisque absistere tecto;
O quantum hora tibi quantum erit illa gravis!
Non te Loisides odit, tu causa laboris
Unus eris; nimio vulnere utrique noces.
Non tibi, crede, datum quo totum vertere possis;
Est etiam arbitrium terrae hominique suum.
Si tibi gratus erit, nobis et amabitur idem;
Gaude dimidio, pars erit aequa suis.
Custodes abigent queis credita cura juvenci;
Cedes, imperii sunt bene iussa Dei.
Adspicies juvenem, quamvis id displicet, ore
Pellere te averso, ac esse negare tuum
Et vocat absentem, et rursus venientia pellit
Ora, aeque victor, victus et ille dolet.
Sed vinces tandem, immitem tua flamma peruret,
Et rapis et fiet altera stella poli.
At nunc cum Lodoix deest quo dirigis arcus
Vulnificos, aedes quas amor hospes habes?
Ipse velim, ac compar aetas; sed pectora desunt
Pura; amor ista tua, si libet ure face.

FLUXARUM RERUM FASTIDIUM ET STUDIUM VITAE SEVERIO

ELEGIA III.

Quid mihi vobiscum est lusus et inania rerum
Gaudia? divitibus ferte pericla viris.
Ecquid adhuc invisa oculos perterret imago?
Iuverit haec quondam me tetigisse semel.
Hei mihi! quam tristes luces, et vivere durum
Cum Gonsagiadum me tenuere lares!
Quis fuit illecebras qui laudibus extulit aulae?
Ah! puto tartareos hunc docuisse deos!
Quales Caucasei saltus, et inhospita pallent
Ismara cultori non bene fida suo:
Tales insidiae fraudesque doliique per aulas;
Undique tela volant undique damna premunt.
Quis fert aut rigidos nutus oculosque severos?
Gratia non tuta est; risus et ipse gravis.
Saepe ego purpureis texi mea corpora velis;
Nubilus ast animus, et grave pectus erat.
Saepe pater dixit: solvant tua corda choreae;
Et quos aula tenet quosque theatra parant.
Aude nate semel mirantem errare per urbem
Vectus equo, aut levibus ire per arva rotis.
Addidit imperium, sed quid me scena juvaret?
Rhedaque si duri plena laboris erant?
Ah! fateor ter me magno sub pondere vitae
Defecit, tegeret cum mihi gemma caput.
Visus et ingentes humeris attollere rupes,
Serica cum texit languida membra toga.
Et mihi circus erant et arena cruenta theatra
Quo starem saevi preda futura lupi.

Et tamen hoc aliquis capitur fruiturque beatus ?
Ah ! vere infelix, et nimis ille miser !
Non ego firmus in hoc : quis fert per laevia saxa
Ire vagum lassos implicitura pedes ?
Vidi ego lugentem noctu penetrare cubile,
Qui modo festivo riserat ore puer.
Alter in insanum fundebat jurgia lusum ;
Damnabatque chorum qui modo gratus erat.
Hic laesum ajebat retulisse ex agmine gressum :
Ille sibi cyathos hic nocuisse dapes.
Ille fidem socii, ille levem accusabat amantem ;
Ille breves annos, temporis ille fugam.
Ah ! valeant si qua incautam caepere juventam ;
Me juvat hoc caeco me occuluisse lare.
Hic licet optatum venientis cernere vultum
Numinis ; ah ! vere Sollicitanda dies.
Hei mihi ! qualis ero subito cum lumine fulget
Limen, et aetherea moenia luce calent !
Ergo mihi fas est horam sperare beatam ?
Ergo fruar superis ? ergo erit ista dies ?
At tu quid differs mihi debita gaudia, Jesu ?
Ah ! jam sex noctes tresque abiere dies !
Non equidem quae Koschiades te dante ferebat ;
Non quae narratur Clara habuisse peto.
Sunt sordes fateor, sunt lurida pectora nobis :
Tantaque non apti pondera ferre sinus.
Oscula si dederis quae te mihi saepe daturum
Dicebas, domus est gratior ista polo.
Junge genas semel, et roseos da tangere vultus ;
Pectoraque amplexu nostra calere tuo.
Haec pietas haec grata dies haec vera voluptas !
Ah ! mihi nota diu gaudia notus amor !
Tunc ego non doleam quod deficientia linquit
Membra calor, tenuis et fovet ossa vigor.

Tunc vigeo et cultu florebunt ora recenti ;
Quique videt similes optat habere dies.

CAPITE NONIS VULPES PARVULAS QUAE DEMOLIENTUR VINEAS. CANT.

Ex parvis labeculis animi dolor.

ELEGIA IV.

O mihi si tonitrus essent, celeresque sagittae,
Aeraque, quae Pyrio pulvere facta strepunt !
Non ego per saltus errarem, ac lustra ferarum
Venator timidae fata daturus avi.
Nec si qui sedem certent vastare paternam
Conarer trepidis vulnera ferre viris.
In me tela ferox certarem, arcusque sonoros
Dirigere, et cordi bella movere meo.
Sunt illic hostes, sunt qui raptare laborant
Commoda, quae nulla terra rependet ope.
Scilicet omnis ager meus est, atque omnia campus
Pectora quae segetes, pomaque grata ferunt.
Hic manet aeternisque rosis, tulipisque decorus
Seu ver lene tepet seu nive bruma riget.
In medio sedet, et nuta regit omnia Jesus,
Si quis corda illi rite regenda dedit.
Hinc pax, et requies, atque omnia gaudia manant ;
Est tibi vita sopor : sunt tibi tecta poli.
Haec ego per lacrymas, et quae projectus ad aras
Vota dedi potui dante parare Deo.
Ergo post hiemes liquidos ego cernere soles
Et potui rigidas igne fugare nives.

Postque iras victas, atque ora minacia patris
Insidiasque hominum perfidiamque Stygis
Spectabam flores et quae mihi corda ferebant
Aethereo arentes imbre rigante sinus.
Hos ego divinae summo velut ore coactos
Praebebam matri, laetaque mater erat.
Quales ante aras violas, tulipasque solemus
Ponere, quas nobis fertilis hortus alit.
At nunc ah! sancto fieri sub corde rapinam
Sentio, et haec rabidas avehere inde manus.
Qualis aper morsu flaventes vastat aristas,
Frangit et immites ungula dura rosas:
Sic mea mens saevas sentit non tuta rapinas
Monstraque nescio quae corda quieta terunt.
At quo saevi aditu penetrarunt corda leones
Incustoditas nunc tenuere fores?
Ergo nihil misero excubiae vigilesque labores
Profuerunt? frustra condita vita mea est?
Me Loioleae munit custodia gentis,
Ianuaque aerata tam bene tuta sera:
Ipse etiam ne me hostilis male falleret astus
Addideram nisus, addideramque minas.
Excubias habet aula suas: vallata resistit
Auris: ad insidias ora parata silent.
Cuncta dabant tutum pectus, sed praelia pectus
Turbant: anne ipsum praelia pectus alit?
Ah! ubi seclusae latebrae, nigrique recessus
Monstraque quis saltus, quae mihi sylva tulit?
Ergo in me saevus mihi monstra rapacia gigno:
Ingeniumque viget in mea damna meum?
Iam mihi nil vestrae prosunt quicumque soletis
Fallere aves, artes telaque dura ducum.
Non has ensis habet vires, non talia rete
Monstra capit; nec fas pectus adire manus.

Tu qui nostra tenes dominus praecordia Iesu
Tu potes insidias, et cohibere dolos.
Ipse velis linquat latebrosa cubilia vulpes;
Et vacat immiti mox penetrale grege.
Sunt tibi pro gladio facientes vulnera nutus:
Spectes et timidos excutis ore lupos.
Quod si me reficit quem dat latus imber apertum,
Uberius sancto germine pectus erit.

IN ROMANO NOSOCOMIO AEGRIS MINISTRAT.

ELEGIA V.

Indigus obscura mihi Iesus languet in aede:
Ah! ego sublimi in limine stare queam?
Ille aeger sordet dum tabes corpora rodit;
Ah! si sustineo spernere dicar amans?
Accedam, nec si nullus mihi suppetit usus
Herbarum, officiis nunc caret ille meis.
Ipse ego qua potero componam pocula dextra,
Aut quae composuit dextera docta dabo.
Non piget incoctos labiis infundere succos,
Tabida vel lino stringere membra levi.
Aut si cui ruptae putrescunt tabe medullae
Siccabo admota foeda fluenta manu.
Haec dudum ignota tersit Xaverius arte;
Felix qui ritu novit amare novo!
Ille quidem saniem bibulis hausisse labellis
Dicitur, ut riguas amphora sorbet aquas.
Et potuit liquidam sub pectore condere tabem;
Scilicet hanc Domini credidit esse sui.

Non ego dedignor munus, sed munera Iesus
Tanta negat, succo non facit urna suo.
Ipse meo sparsos componam pollice crines
Si cui prae nimio sparsa calore coma;
Et madidam tergam frontem, atque addam oscula fronti
Et faciam facili mollia strata manu.
Quod si quem saeva mors importuna securi
Percutit, atque oculos labitur ante meos:
Hunc humeris tollam, et curatum rite sepulchro
Condam, et funereas quas licet addo preces.
O utinam tali cum fungar verna labore
Rumpantur vitae stamina dura meae!
Et liceat qua membra iacent tabentia condi;
Haec sint servitio praemia digna meo:
Ut nostro inscribi possent haec verba sepulchro,
Quae mihi non dubii testis amoris erunt:
Hic iacet immiti Ludovicus morte peremptus,
Dum Jesu tractat languida membra manu.
Quis scit an ignoto delapsus ab aethere vultu
Ipse adsit nostra rite levandus ope?
Sic tibi mutata, Marce, occurrisse figura
Dicitur, ac media nocte petisse thorum.
Moestus erat, lacero corpus sordebat amictu;
Livida erat facies, ac male pexa coma
Accessit placido dum membra sopore levabat;
Parva domus, tenuis laena, thorusque brevis.
Excutit impellens postes, miseraque levamen
Voce petit, profugum me puer aede cape.
Non ego per titulos generis, per sidera quaero:
Jesum habeo auctorem, quod dabis ille capit.
Exiluit tanto audito tunc nomine Marcus:
Contrahitur, partem datque tenere thori.
Utque statim foveat quod totus frigore pallet,
Apponit vestis quicquid opisve fuit.

Ille quidem ut vidit somno cessisse sodalem
Surgit, et ad superas avolat umbra domos
Quem cum mane petit Marcus, versatque revolvens,
Strata, viri texto in stamine vultus erat.
Non sordes, non livor erat, sed clara videri
Iam Iesu poterant ora venusta sui.
Oh quantum exarsit, picto quanta oscula lino
Addidit, amplexu te mea cura premo?
Tene mihi, Iesu, praebes, haec reddita amanti
Merces? O nimium nox brevis illa mihi!
Haec mihi contingant, tunc rerum gaudia ventis
Cuncta ferenda dabo, tunc mihi vita Vale.

EX CHRISTI DOMINI PATIENTIS CONSIDERATIONE DOLOR.

ELEGIA VI.

Sint mihi nunc bini fontes, et fontibus undae
Sive tuae Tibris, sive Amasene tuae.
Pectora singultu resonent, crebrisque querelis
Lingua; nec imbre die nocte nec ora vacent.
Iene mihi Iesu crudelia vulnera scindunt?
Te figunt clavi dilaniantque rubi?
Ah ubi formosi crines, et gratia frontis
Quam vidisse placet, nunc memorare piget!
Ah memini cum te vidi in penetralibus altis!
Quantum erat in vultu lumen, et ore nitor!
Non sic livebat facies, non sanguine crines
Concreti, et laesi duro adamante pedes.
At quis in insonti tot vulnera corpore fixit?
Quae potuit teretes vis violare manus?

O utinam non sim tanti quoque causa laboris
Ipse ego, quem tantum nunc tua poena premit?
Si te tanta pati mortalia crimina cogunt,
Me memini horrendi criminis esse reum.
Si tua qui fundant verba impia guttura figunt,
Ausa etiam haec quondam dicere lingua nefas.
Si te dilaniant qui vertunt arva rapina,
Emovit dextram foeda rapina meam.
Et fastu tumui, et bellator praelia movi,
Quae tu nunc caeso corpore cuncta luis.
Et supero, et siccis oculis tot vulnera specto;
Et quem sustinui caedere corde gero?
O dignus stygiis undis, et manibus imis
Quemque terat nigro tetra caterva pede.
Ah peccas tellus quod non mihi rupta dehiscis:
Magnum est quod parcunt ignis et unda scelus.
I nunc Loisidi choreas, et gaudia suade,
Membraque seposita cingere veste iube.
Scilicet apposito mea murice membra refulgent
Corpora dum Iesu sparsa cruore rubent?
Ah valeat iocus, et qui mollit pectora risus;
Sit mihi amarities, et dolor usque comes.
Haec pietas haec suadet amor, sit vultus amantum
Idem: quaeque unus sustinet alter amet.
At si te laesi, liceat cognoscere tandem
Quae sint hic nostra vulnera facta manu.
An quae fronte geris quam spinea texta coronant?
An quae livida habent pectora quaeque pedes?
Haec ego quo potero vindex medicamine curo,
Utque statim coeant pharmaca grata dabo.
Aut si forte minus fomentis vulnera cedent
Sunt lacrimae, hae melius quippe levamen erunt.
Adjiciam succos, et odori corticis undam
Qualem olim capiti Magdala chara dedit.

Adjiciam sceptrum, et quas dat fortuna coronas,
Atque domum, et magnae nomina cuncta domus.
Nec satis haec, bis atque quater mea membra flagello
Proscindam, et pretium vulneris ulcus erit.
Te videam incolumem, aut species nisi prima redibit
Finit amor nostros quos tibi poena dies.

VITAE ASPERITATES EX CHARITATE.

ELEGIA VII.

Ergo etiam in sacro dolor est, et luctus amore?
Causam etiam pietas qua lacrimetur habet?
Fallimur ah stulti! laetos qui credimus annos
Ducere sidereo dum calet igne iecur.
Scilicet ipse etiam mittit sua spicula Jesus,
Quaeque regit Dominus corda dolere iubet.
Haec lex prima sui est regni haec data iura colenti:
Aut dolet aut nullas sentiat ille faces.
Aspice Loisiden, vultu miserabilis adstat,
Coelestis causam flamma doloris habet:
Sordent membra sago; macie tabentia squallent
Ora; trahunt trepidi vix sua membra pedes.
Unus amor tantos potuit suadere labores:
Credite, divino tactus amore dolet.
Ille quidem ad regnum praelustri natus in aula
Tractabat tenerâ sceptra paterna manu.
Centum urbes domino sternebant colla minores;
Sertaque nectebat mollibus aula comis.
Dixit amor sceptrum et nexas modo mitte coronas
Loisides, facili misit et ille manu.

Iussit et auratas vestes, et ponere torques,
Paruit, et texit syrmate membra puer.
Nec satis hoc, vetuit per campum, et rura lupatos
Flectere equos medio aut curribus ire foro:
Nec mora Loisides odit turbamque diemque,
Gaudet et obscuri taedia ferre laris.
Et si maternos renuebat cernere vultus,
Atque haerere sinu, nutus amoris erat.
Iussa sacrae fuerunt artus proscindere flammae,
Et longa fauces attenuare fame.
Sunt mea corda inquit, sunt tempora debita nostro
Imperio, hic sedeo, et torqueo jure mea.
Intremuit Lodoix tanto sub pondere, et artus
Poene indignati ferre queruntur onus.
Aspicis ut prono non spectat sidera vultu?
Tempora sollicitus capta fatigat amor.
Quondam etiam medio sub gutture spiritus haeret:
Corde sedens animos verbaque flamma tenet.
At tibi quis Lodoix animus, quid mente volutas?
Poenitet, aut tanto in pondere dulcis amor?
Deficis et dominum quondam damnare videris,
Mox retines et si forte abit ille, doles.
Et revocas, et cautus habes, orasque morari:
An ne etiam sancto est dulce in amore mori?
At tu sancte puer, qui pectora casta fatigas,
Tutius ut teneas mitius ure precor.
Abde faces paulum et torrentia corpora leni:
Solamen fesso da requiemque brevem.
Quid iuvat immodicis absumere membra favillis?
Deficient, et tu, sancte amor, aede cares.
Quod si tanta tenet te cura accendere mentes;
Verte arcus, multi qui feriantur erunt.
Sit mihi pars ignis, quem non bene sustinet aeger
Loisides, telis aptior ipse tuis.

Una idem pietate duos servasque, fovesque
Ipse minus rigeo, mollius ille calet.

EX DIVINI SPONSI ABSENTIS DESIDERIO AEGRITUDO.

ELEGIA VIII.

Nox erat, atque imo ducens suspiria corde
Tendebat Lodoix moestus ad astra manus.
Moerebat juvenis, sed non moerentis in ipso,
Nec lugentis erat vultus, amantis erat.
Interdum in lacrymas se livida lumina solvunt;
Haeret at in moesta pendula gutta gena.
Multa super coeli optatis volvens hymenaeis,
Talia singulto concutiente refert:
Heu misero! patrios quid deseruisse Penates
Iuvit, et Ogniadum dulcia signa sequi?
Ecce vetus repetit me poena et cura recurrit:
Atque iterant gemitus vulnera saeva meos.
Loisiden fugiens linquit, quis credat? Iesus;
Cogit et in viduo nocte jacere toro.
Non haec cum peterem Mantois exul ab oris
Roma tuas arces, vaticinatus amor.
Vade puer dixit quam quaerere saepius ardes
Pax illic, requies ad tua vota venit.
Illic illimes fontes, et vitreus humor,
Quo licet arentes saepe fovere sinus.
Aura levis circum volitat, vultumque susurrans
Verberat atque extu languida corda levat.
Quid memorem flores, et odori munera campi?
O quae prata virent! quotque roseta vigent!

Hic sedeas seu mane placet seu cum astra recurrunt,
Expectasque ignem nocte favente tuum.
Adveniet tuque amplexus das oscula fronti;
Osculaque accipies mutua, laetus eris.
Et licet alternas tacite narrare favillas
Quidque decet socios, Jesus et ipse iubet.
Haec tibi spondet amor, conversis ante recurret
Rhenus aquis, quam te fallere possit amor.
Rhene tuo propera versus te abscondere fonte;
Credula Loisidis corda fefellit amor.
Ah ubi per lacrymas quaesitae, et verbera thacdae?
Ah ubi Jesus, ubi basia vultus ubi est?
Non sic per scopulos noctu syrtesque latentes
Fluctuat adversis flatibus acta ratis:
Nec sic noctivagus per inhospita rura viator
Pallet, quem circum millia monstra fremunt:
Ut mihi deficiunt vires et pectora languent;
Mensque stupet cunctis exagitata malis.
Quid superest misero? dolor undique, et undique terror!
Destituor; nullus spiritus ossa regit.
At quonam laesi te, Jesu crimine, quid te
Iampridem grato cogit abire sinu!
Hei mihi quot casus, et quanta pericula amantes
Circumstant; causam qua Deus absit habet?
Sed si forte meae cogunt discedere noxae,
Eluere has facilis cura, piusque labor.
Tu lacrimis o vita modum ponesque dolori:
Quanta pati iubeas vulnera, tanta feram:
En scutica en vepres, en densis horrida clavis
Texta, velis humeris verbera mille dabo.
Nec satis hoc; tenuem facient jeiunia vultum,
Si forte in pingui displicet ore rubor.
Utque leves ulnis possis complectier artus
Proderit admotis attenuare rubis.

At tu ne spernas miseri suspiria amantis;
Et moveat laesi cordis amarities.
Adspice quot fundant ardentia lumina gutlas?
Utque fluunt lacerae mesta per ora comae?
Per te moesta dies per te vigilantur amarae
Noctes, heu per te non caret hora meta.
Nec me verba iuvant, nec molliet herba laborem;
Da mihi te facilem vulnera stricta dabis.
Talia Lesbides, ceu summa turtur in ulmo
Conqueritur socio iam viduata suo.

LUDO INDULGET EX OBEDIENTIA

ELEGIA IX.

Hoc quoque iussit amor: quid me quod mobile buxum
Urgeo, miraris? hoc quoque iussit amor.
Ipse quidem accinctus saevo mea terga flagello
Caedebam, et dura pectora nuda manu.
Et caeco inclusus thalamo mea crimina fletu
Tergebam, nulla dissoluenda mana.
Et me, dicebam, tandem mea cura videbit
Iesus, et in miseram iam minus asper erit.
Risit amor subito ingressus: modo, verbera dixit,
Mitte, labor flammis non facit ite tuis.
Est etiam in sacro ludus spectabilis igne;
Dextra etiam coelo ludicra saepe placet.
Sume pilas: quaque arte licet per florea volve
Saxa; regas ictus, et bene gratus eris.
Ite procul curae; Phoebi procul ite labores,
Et quaecumque premunt fortia corda virum.

Non ego Sauromatas inter, Serosque Molucas
Optarim moris pandere iura novi.
Nec mihi quis tempta, et vertendas indicet aras
Imperjuratis quas statuere Diis.
Nec me sollicitent curae queis saepe dolebam
Quod non exciperent barbara lustra vagum.
Seu quae non aequi Soles, et sidera torrent:
Seu quae perpetua sub nive pressa rigent.
Quid sperem infelix urgens Acheronta loquela?
Quid nisi coelestes qui styga frangit, amat?
En ego nec Diſeum domito nec Numina verto
Impia: sed pietas volvere magna pilas.
Et cum me incautum versutior aemulus urget
Ceu si perferrem verbera saeva, probor.
Et cum propositum tangit pila devia punctum,
Praemia iam victrix dextera certa capit.
Fallor, an occultus se prodit ab arbore Iesus?
Non fallor, spectans per sata Iesus adest.
Ergo quem frustra lugens per vota vocavi
Cum certa moveo brachia lege venit?
Quem mihi secretae sedes, tenebraeque negarunt
Nunc virides umbrae, terraque laeta dedit?
Ah nimium stultus, saevis quicumque flagellis
Fidit, et haec sperat posse movere Deum!
Nec tibi languentes humeri, et jeiunia prosunt,
Si tuus invito numine suadet amor.
Ipse neget, tundens manibus praecordia, peccas;
Ipsum est si renuat crimen amare, Deus.
At placeas ludens, et mulcens membra probaris,
Grataque erit species, si tamen ipse velit.
Est pietas viduo noctu frigere cubili,
Soepe Deus iunctos fertur amasse thoros.
Gratus erat Paulus dum pronus ad antra canebat;
Gratus et emittens pila cruenta David.

Sic me ludentem coelestia numina cernant :
O mihi prae superis grata poloque pila !

IUSSUS A DEO MENTEM AVERTERE QUERITUR.

ELEGIA X.

Quod te quotidie non ut quater ante solebam
Conveuio accusas , pellis et ore reum
Parce Deus , non prisca fides , non gratia cessit
Iurata , et sanctae foedus amicitiae.
Impedior miser , et nutu retinente morantur
Gressus: libertas non mihi prisca manet.
Tempus erat , cum fas tecum traducere luces ,
Arceret nostros cum sera nulla pedes.
Tunc licuit longas una vigilare per horas ,
Et tacita alternas dicere mente faces.
Liber erat sermo : liber , fletusque , iocusque
Et tractare manus , et refovere genas.
Nullus erat custos , non stabat ad ostia miles ;
Ire fuit quoties ire iubebat amor.
At nunc arcta tenent me clathra , dataeque resistunt
Excubiae : ah etiam sancto in amore scelus ?
Est iuvenis , mandata suis habet ista magistris:
Non sit Loysidi libera sacra domus.
Aut si forte petit , nec fas retinere ruentem,
Parce: tamen moneas vix semel ire licet.
Et tantum stabit , quantum ter pronus adoret ;
Sin ultra , invitum fas removere manu.
Et ne mente adeam, quo non pede pergere fas est,
Objiciunt doctas pabula amara notas.

Quis mihi tunc animus, qui presso in corde labores?
Uror ut inclusa saxa terenda face.
Inspicio si forte tuos fert pagina vultus;
Quam sordet! solus tu mihi gratus abes.
Instat et attonito mihi iussa immurmurat aure:
Loisides, revocat docta Minerva, redi.
Heu redeam infelix, et septum ut bucula servo,
Si mens arbitrio stare tenente potest
Non haec tam facilis, quam vinclis cogere possis,
Serpit, quoque animus nesciat ipse, vo'at.
Tolle procul Flammas, et causam tollis amoris:
Abde genas, ponit cura, tepetque calor.
O utinam aetherea Iesus mansisset in aula,
Non qua flagrarent pectora, causa foret!
Longum iter ad superas, nec pervia semita sedes;
Non nisi sidereo ex limine flamma venit.
Finge tibi facto cingas praecordia septo,
Ardor adest, qua non noveris ipse, via.
Una eademque duos aedes conjungit amantes:
Ah nimis, ut flammas separet illa brevis!
Quis teneat celsa spectantem ex turre columbam
Quin quas fert herbas proximus hortus amet?
Quis durus stipulas objecit bobus arator
Et ne pertingat gutture fune ligat?
Sic mihi quod nunquam sperassem proxima Iesum
Templa tenent: Iesum sed mihi iussa negant.
Dissita quod removent loca saepe queruntur amantes;
At nobis quod adest causa doloris, amor.
Quando erit, ut factum te condam pectore libum,
Inque meo sedeas sarcina grata sinu?
O mihi grata dies, o coelo ignota voluptas!
Stultus qui Iesu stare vocante potest!
Nunc hanc quam possum raptim tibi reddo salutem:
Fac possim aetherea dicere in aede Vale.

INDUCITUR DIVUS ALOISIUS LOQUENS CUM ADOLESCENTE

ELEGIA XI.

Ecquis et unde venis, lacero qui tectus amictu
Erras, et sacras te occulis ante fores?
Quid sordes, quid moesta volunt sibi lumina? frontis
Quae nota? quid vultus signa dolentis habet?
Non haec apta loco facies nec forma diei
Conveniens, hospes: funeris iste color.
An tu Sirenis genus et de millibus unus
Quos docet hic artes grata Minerva suas?
At color Euboicos non cognitus ante per agros;
Certe hic externis finibus exul ades.
Ast age linque fores: sacras accedere ad aras
Iam licet et nostras consociare preces.
Est locus hic etiam hospitibus; non clauditur ulli
Ianua, Loisidis cui bene facta placent.
Parce puer, verbis nolis refricare dolorem,
Tuta sit in caeco vita perosa loco.
Loisides ego quem votis et honoribus ornas
Saepe canens; properans ad mea dicta veni.
O fili ne lugubres mireris et aegros
Vultus; sat luctus cognita causa mei!
Tempus erat quo me fulvo splendescere in auro,
Et licuit laetas luce micare genas.
Haec, nos mutamus si terris astra supellex
Coelestes ornat, quam pia dextra facit.
Squallida erit facies et nulli in fronte colores
Si temnit tellus, et levis umbra sumus.
Ah quoties nos pallentem et per compita egenum,
Qualem me cernis, vidimus ire Deum.
Ipsa tuae requies animae, et tua cura Maria
Saepe vagos nullo fert comitante pedes.

Hoc est cur surdas praebemus vocibus aures;
Et piget humanos saepe subire lares.
Quis curat, quis se socium venientibus addit?
Cui nostrum sedes hospitiumque patet?
Et tamen arbitrium tenerae regnumque juventae,
Atque hujus regimen dicor habere loci.
An quod depicto variantur templa tapete
Et cincta omnigenis floribus ara micat,
Creditis indigetum faciles ex aethere lapsus,
Grataque coelicolis tecta quod alta fore?
Ah nimium stultus superos qui credit avaros!
Muneribusque capi coelica corda putat.
Non coelo pietas, oculis sed vana voluptas
Haec struxit vestris, nomine tuta meo.
Ardet in extructis accedens arcubus hospes;
Picta puellares detinet ara genas.
Dant alii arrectas cytaris resonantibus aures,
Cordaque tibicen ingeniosus habet.
Haec stupet: his mentem mirans et lumina vulgus
Suspendit, studiis nobile servit opus.
Quaere ubi Loisides, incognita nomina profers,
Teque statim averso despicit ore comes.
Dic qui sim: stultae ridentur taedia linguae:
Me cole demisso lumine, ineptus eris
Ergo me capient venientem haec templa; locusque
Aptus ubi aethereus possit adire chorus?
Non oculos non nos facies non quaerimus aures,
Despicimus flores despicimusque faces.
Sunt socii superum non fictae mentis amores;
Et quae quisque pio pectore vota fovet.
Excludor miser; ignotis mihi debita servit
Sedes, atque alios haec habet ara Deos.
Diversas agitant juvenilia pectora curas,
Nec nostrum pubi nomen ut ante placet.

Sed flecti poterit; facile, et mutabile pubes;
Flectere quis miti si modo voce queat.
Haec tu vera refer sociis, oraclaque divum.
Mutuus est superum si bene amatis, amor.

AD DOM. THOMAM CONSALVO, OPTIMUM MODORUM MUSICORUM MAGISTRUM,

De festo S. Aloysii celebrando.

ELEGIA XII.

Sic tibi sint faciles numeri sic dextera cordas,
Et varient certa guttura lege modos;
Hanc animam Consalve juva pectusque resolve
Quae Curae, ut Boreas aequora lata, movent.
Nam memini quid in hac nuper tu sede canebas
Cum tibi cantandus Virginis esset honos:
Quam non letifero maculavit dente cerastes;
Et potuit primi labe carere patria.
Tu tenui aeternos imitatus gutture cantus
Virgineas poteras flectere voce genas.
Cantabas quanto Numen cepisset amore
Cum primum intactas sustulit illa manus.
Sensimus integrumque ortum puramque cubile,
Tam tenuis numerus voxque polita fuit!
Vix stetit immotus paries, lapidesque volebant
Ianuaque ad dulces rapta venire notas.
Te circum vultu invenes et crine decori
Quot duce te certos edidicere modos.
Hi tibi non similes animo, at te voce secuti
Reddiderant nostro gaudia prisca lari.

At nunc his numeris nunc his concentibus usus,
Quo possint aegris esse medela animis.
Accipe quid doleam primum, quo tristia facto
Pectora: tum gemitus qua licet arte leva.
Ingentes repeto Lodoicis mente labores,
Quotque dedit lacrymas cum sacer ussit amor.
Namque ferunt postquam luxum titulosque paternos
Sprevit et antiquae munera magna domus:
Illum divinas animis hausisse favillas
Quot vix humanus possit habere sinus:
Fugit ab ore color, pulsabat anhelitus artus;
Sumebant raros ora coacta cibos;
Ante oculos puer aetherni genitoris imago,
Et cum divina matre puellus erat
Hos ille amplexu seu linquens strata tenebat,
Seu cum deciduo ex aethere vesper adest.
Non unquam optati vultus aut ora negata,
Et faciles aditus liber et ignis erat.
Utque hederae muris haerent, ut vitibus ulmi,
Cura simul junctos sic habet una duos.
Loisidis per longinquas narrantur amores
Terras; aetherei nomen amantis habet.
At non sic pueri flagrantis amoribus aequus
Praesul, cui dederat corda regenda puer.
Ille ignes veritus nimios et pectoris aestus
Claude puer dixit pectora; cedat amor.
Amplexu careas divum, et tibi gaudia paulum
Sacra nega; causam namque doloris habent.
Quondam etiam superis prodest sacroque carere
Igne; age robusta, si venit ille manu.
Heu quos tum gemitus heu quot suspiria traxit?
Pallet, et insolito diriget ille gelu.
Ex illo non grata dies, invisaque vita;
Et sine luce oculi, et sine mente caput.

Haec tu si potes o teneri tibicen amoris
Iunge modis : cytharas ista referre jube
Quod si deficiunt numeri nec verba sequuntur ;
Accipe ; jam primi pars erit ista chori.
Heu cui me similem dicam ; cui tristior unquam
Contigit et tantis vita referta malis !
Pauperies multos, multos tabentia torquent
Membra, aliis aestus nix et iniqua nocet.
His messes hiemes, his fervens unda carinas
Eripit, his pecudes ursus, et arva calor.
Sunt quibus apricos campos et aperta viarum
Iura adimunt, sontes vincula dura premunt.
His tamen unus adest possit qui vincere curas
Liber amor : sequitur quolibet ille comes.
Sic faciles inopi sordes dulcesque labores,
Quod licet in vacuo claudere corde Deum.
Et se carceribus sontes et compede solvunt,
Mente abeunt quo non fas sit adire pede.
Felix quem vinctum dum circum angusta coercent
Moenia noctivagus qua patet aura petit.
Haec mihi libertas haec menti sola voluptas ;
Haec animo requies haecque negata salus.
Cui vetiti fontes cui non lux libera et aer ?
Quod non velle nefas quis tibi velle negat ?
Ergo habet et coelum fines et limine numen
Claudimus ? anne etiam est sancto in amore scelus ?
Hac juvenis secum quae tu, Consalve, paratae
Si qua est flebilior crede sonanda tubae.
Dein quae voce feras tenui ut moerentia mulcens
Corda leves, numero jam meliore canam :
Parce pio juveni, exactis jam parce medullis
Sive volens, Iesu, sive repulsus abes.
Sancte veni non tu jussis prohibeberis ullis;
Nulla tibi clausa est janua, cuncta patent.

Dulce tibi quondam juvenis requiescere in ulnis ;
Grata quies, labiis oscula grata tuis.
Ah caveas, olim castos ne liqueris artus ;
Incustoditos occupat alter amor.
Non sentis quanti ponunt huic undique amantes
Insidias ? absis, non erit ille tuus.
At te Loisides non jussa et tempora laedent :
Mitte metum : thalamo quo stetit ille, manet.
Haec mihi Loisidis jamdudum imitantia amoris
Musa ; at vox numeris non erat apta meis.
Tu Consalve refers ; ergo mea pectora solves,
Si sequeris numeros voce modosque juvas.

MENSTRUUS ADOLESCENTIUM SECESSUS EX D. ALOYSII POENITENTIS MEMORIA.

ELEGIA XIII.

Lustralis cur certa dies vertente recurrit
Mense petis, quae nos nunc nova cura tenet.
Nulli aditus patet, et si quis contingere postes
Audet, ab excubiis pellitur inde manu.
Nulli fas longam alternis sermonibus horam
Fallere, cum dominis clausa cubicla silent.
Quin nec ad Ascraeum cura est accedere fontem,
Compositosque tenent scrinia clausa libros.
Dent veniam doctae mea maxima cura sorores,
Scilicet haud omni munere lingua vacat.
Non est, quod cessant dextrae, si nablia cessant,
Sunt alia nobis plectra movenda manu.
Non eget illa dies Pindo, non auris Homero,
Carmina Jessiades multa canenda dabit.

Quippe salutatum dium cum matre puellum
Ibimus, et blandos rex dabit ille sonos.
Deinde nefas, si quod menti est dissolvere cura,
Atque animos certo more novare reos.
Excitat ingenium, Superum dum jura Sacerdos
Explicat, et magna pectora voce quatit.
Templa silent, et ne visu mens rapta vagetur,
Eripit opposito poste fenestra diem:
Ora vides circum pallescere: concutit intus
Ira Dei, et noxae mens memor ipsa suae.
Est qui criminibus se foedum sponte fatetur,
Et saepe aeternas se meruisse faces.
Alter fuste humeros caedit, petit alter amara
Pocula, et exigua diluit exta dape.
Principium Lodoix moris fuit: ille nocentem
Se ratus, admissi criminis ultor erat.
Quippe ferunt, jussum Patriis excedere tectis,
Atque sequi tenero Martia castra pede.
Arma placent puero, tormentaque saepe reposcit
Bellica inexperta sollicitanda manu.
Adfuit et castris, cum miles potus, et exlex
Ore refert turpes liberiore sonos.
Hos haurit puer, et vetitae non conscius irae,
Ingeminat turpes terque, quaterque sonos.
Arridet miles, plauditque, iterumque referre
Sollicitat puerum, nec tenet ille modum.
Quid tibi cum Puero miles? tibi cura Gradivi;
Castra pete, incautum fallere mitte caput.
Quis furor in dictis est turpibus? impie nescis,
Quanta paras Domino bella, necemque tuo.
Tempus erit, cum te memor, et tua dicta puellae
Oderit, heu quanto sanguine dicta luet!
Scilicet, ut meminit, sic se laesisse pudorem,
Heu rubet, et subito membra tremore cadunt.

Utque nefas purget sacro solvenda Ministro
Dicere dicta velit, dicere cura vetat.
Deficit et medio nulla revocabilis arte
Ille sono, exanimum quisque jacere putat.
Utque Sacerdotis per mitia verba revixit,
Perpetuo teneras irrigat ore genas.
Utque fidem faciat non ficto horrere dolore,
Non patitur vacuam luctibus ire diem.
Ah! simplex Lodoix, qui verba haec noxia credis,
Non sonus, ast animus noxia verba facit.
Ut tamen illius non moris nescius erres;
Certa Loisides illa piare die,
Setosa indutus tunica procul urbe, domoque
Dicitur obscura tum latitasse casa.
Atque animam clausis interclusisse labellis,
Et tacet, ut sceleri poena sit aequa suo.
Poena placet nobis, nostra et damnamus eadem,
Quae dedimus jam non dicta probanda Deo.
Sed satis una dies, ut nullo effata pudore
Diluat, et redeat, qui fuit ante, nitor?
Non si perpetua religetur lingua catena,
Aut clausa immanis obstruat ora lapis,
Dicta piet, seu sint vafrae mendacia mentis,
Seu quae vicini laedere facta solent.

PERICULUM DUM ADVERSUM TICINI FLUMEN SUAE RHEDAE MALE TEMPERAT.

ELEGIA XIV.

Sextus ab aequoreis Phoebus caput exerit undis,
Pallidus et fessis aera currit equis.

Intonat, et subita Coelum strepit omne ruina,
Crescit hyems, spissas concitat Auster aquas;
Tum pavidus templum ingressus altaria spectas,
Cumque precaturus genua reponis humo.
Ecce tibi splendet lugubris imago per aras:
Flumineam in tabula currere cernis aquam:
Hanc inter currum, nullo ductore, revolvi,
Et juvenem in tumido vortice stare vides:
Dumque stupes parvum aedituus tibi sponte libellum
Praebet, hic ignarum, quid notat illa, docet.
Loysidis nomen varias impleverat urbes,
Captaque erat juvenis regia quaeque modis.
Ore placet, virtute placet, petit aula Ministrum,
Mars socium, Musae Curia templa petunt.
Ille sibi infestus juveniles sedulus ignes
Oderat, et varia lege tenere studet.
Attenuat brevibus languentia corpora mensis,
Effluit e vena, fuste secante, cruor.
Fugit ab ore color, macie squalentia tabent
Membra, fluunt vestes, et sine lege comae.
Audiit haec Genitor dum Caesaris arma ministrat,
Castilionaea et procul urbe manet.
Sollicitus nati Genitor, discedere mandat;
Festinat jussus, corde pavente, puer.
Protinus auratum famulorum turba Pileatum
Ornat, Mantoas praeterit ipse vias.
Vix celeri tumidum passu tetigere Ticinum,
Turbidus hybernis ille fluebat aquis.
Indignata moras adversum it rheda per amnem,
Flumen et audaces ingrediuntur equi.
Quo ruis incautus? ne fide auriga fluento,
Flumineas quando mors latet inter aquas!
Non didicit timuisse viros, magnosque resorbet
Heroas, raptos quot maris unda tegit!

Qualis ab abruptis demissus rupibus amnis
Fertur, et ad campos grandia saxa rotat:
Vertice quae fervens impulsu avexerat alto,
Nunc per inaccessas fertque, trahitque vias:
Haud aliter Lodoix sinuosis volvitur undis,
Errat et in liquido naufraga rheda sinu.
Certa aderant fata, haud ulla regit arte pilentum
Auriga, abstractis illud aberrat equis.
Tum curis vacuus: non me, puer, impia, dixit,
Fata premunt, Coeli munus id esse reor:
Dum sistit paulum, et me non revocabile lignum
Debita det Domino solvere vota meo.
Dixit, et erecto prospectans sidera collo
Pauca refert, quae vos, astra, movere queant.
Qualis Threjciis citharam cum Linus in antris
Percutit, attonitus ebibit aure lapis:
Aut cum materno mulcebat carmine ripas
Orpheus, hae cursum sustinuere suum:
Sic fluvius, sic rheda stetit, dicente puello:
Ire licet: nullam jam facit ille moram;
Prosiliunt, siccantque fluentia membra, sodales,
Pronus humi Lodoix munere digna canit.
Audiit illa Deus, juvenem tum destinat astris,
Et jubet Ogniadum consociare chorum.

INDEX

Ad Clarissimum Virum Nicolaum Lucinianum, in neapolitano archigymnasio eloquentiae professorem . . . . . pag. 3

LIBER I.

ELEGIA I. — Auctor ad sua scripta . . . . . » 9
II. — Ad neapolitanam Academiam vulgo Pontanianam. *De linguae latinae excidio eaque instauranda.* » 12
III. — Ad Neapolim. *De cultu sanctissimi nominis Iesu.* » 15
IV. — Ad Philippum Caracciolo. *Archiepiscopum Neapolitanum, eum litterariis adolescentium exercitationibus assisteret* . . . . . » 18
V. — Inducitur colonus ex Oppido vulgo Caposicco dolens praedioli sui ruinam. *Erumpentibus a vesuvio flammis.* . . . . . » 20
VI. — Poeta nascitur. *Adolescens queritur, quod ita natus non sit* . . . . . » 23
VII. — Auctor de suo tumulo in suburbano neapolitano sepulcreto. *Ad lectissimum juvenem Carolum Beancia.* . . . . . » 26
VIII. — Ad amicum. *De nobilissima virgine neapolitana, Francisca a quinque plagis.* . . . . . » 29
IX. — Cholera morbo Neapoli saeviente . . . . . » 32
X. — De Nobilium Ephebeo in D. Sebastiani constituto. » 34
XI. — Ad Angelos in die Domini natali canentes . . » 37
XII. — Fingitur Beatiss. Virgo auctorem stultitiae arguere. » 39
XIII. — Auctor ad suos discipulos dum eos e ludo dimitteret. » 42
XIV. — Ad Neapolim monitum. *Cholera morbo ingruente.* » 45

LIBER II.

ELEGIA I. — Furor poeticus . . . . . pag. 48
II. — Auctor post rusticationem Autumnalem. *Neapolim cogitat* . . . . . » 51
III. — In obitu Reginae Christinae. . . . . » 53
IV. — Viduae paüperis querelae. *In obitu ejusdem.* . » 56
V. — Regis Ferdinandi lacrymae. *In obitu ejusdem* . » 58
VI. — De Cultu Sanctissimi Nominis Jesu . . . . » 61

VII. — Ad lectissimos regii salernitani Collegii ephebos. *Auctor salerni agens* . . . . . » 64
VIII. — Ad iuventutem salernitanam. *Cum Salerni auctor rhetoricam docturus esset* . . . . . » 67
IX. — De Tumulo salernitano vulgo Turrione. *Fabula.* » 70
X. — De cratere montis Vesuvii flammis subiecto. » 74
XI. — Adolescentibus primam minervam exercentibus aliquantulum indulgendum . . . . . » 76
XII. — In obitu Aloysii Solari e Soc. Jesu . . . . » 78

LIBER III.

ELEGIA I. — Auctor: *Suam in docendo facilitatem contra malevolos defendit* . . . . . » 81
II. — Ad amicum. *Cholera morbo Neapoli saeviente.* » 84
III. — Ad signum Agrippinae ex marmore quod in regio Musaeo custoditur . . . . . » 86
IV. — In nuptiis Ferdinandi regis cum Christina ovidius. *Fingitur invitatus sua amataria retractare, ac honestiora de connubiis canere* . . . . . » 89
V. — Cum in duos pueros aethiopes. *Quos patribus Societatis instituendos Ferdinandus rex tradidit, redux Salerno auctor incidisset carmen elegiacum scripsit, quo ex illis alter ad matrem scribere fingitur* . . . . . » 92
VI. — Mater respondet. . . . . » 100
VII. — Studiosi adolescentis neapolitani post ferias resipiscentia . . . . . » 102
VIII. — Salernitanae scholae ruina . . . . . » 104
IX. — Ad Neapolim in clade tersinii erumpentibus e Vesuvio flammis. . . . . » 106
X. — Cum decessisset immatura morta Michael Gabriele e Societete Jesu optimae spei adolescens. *Auctor, arrepta occasione, incommoda loci, ubi ludus literarius constitutus erat queritur; ac Antonium Sancium Provinciae Praesidem adhuc in vivis agentem rogat, ut illa sua ope avertat* . . » 109
XI. — Discipuli ad auctorem, cum subito relicto ludo Surrentum petiit . . . . . » 113
XII. — Magister respondet. . . . . » 116
XIII. — In obitu Angeli Antonii Scotti . . . . . » 119
XIV. — De Hispanicis in Religionem motibus. . . . » 121
XV. — In obitu clar. equitis Francisci D' Avellino . » 124

LIBER IV.

ELEGIA I. — Auctor de suo in D. Aloisium studio. . . . » 127
II. — D. Aloysii ortus in die obitus D. Stanislai. . » 130
III. — Fluxarum rerum fastidium et studium vitae severioris. . . . . » 132
IV. — Capite nobis vulpes parvulas quae demoliuntur vineas. Cant. *Ex parvis labeculis animi dolor.* » 134
V. — In Romano Nosocomio aegris Ministrat . . . » 136
VI. — Ex Christi Domini patientis consideratione dolor » 137
VII. — Vitae asperitates ex charitate . . . . . » 140
VIII. — Ex Divini Sponsi absentis desiderio aegritudo. » 142
IX. — Ludo indulget ex obedientia . . . . . » 144
X. — Iussus a Deo mentem avertere queritur. . . » 146
XI. — Inducitur Divus Aloysius loquens cum adolescente. » 148
XII. — Ad dom. Thomam Consalvo, optimum modorum musicorum magistrum, *De festo S. Aloysii celebrando* . . . . . » 150
XIII. — Menstruus adolescentium secessus ex D. Aloysii poenitentis memoria. . . . . » 153
XIV. — Periculum dum adversum Ticini fluvien suae rhedae male temperat . . . . . » 155

ERRATA	CORRIGE	ERRATA	CORRIGE
P. v.		P. v.	
4. 6. eum	cum	34. 34. marmorci	marmorei
19. 25. Tarpeja	Tarpeja	ib. ib. condocerent	condecorent
20. 12. sollicitar	sollicitat	53. 20. surte	sorte
ib. 18. melenda	medenda	64. 17. stueret	strueret
21. 22. hami	humi	71. 83. quaetus	quaestus
ib. 21. felicis	felices	72. 9. plaretra	pharetra
29. 6. lurba	turba	115. 32. mala	male
30. 9. sanquine	sanguine	116. 12. extempo	extemplo
ib. 31. vocet	nocet	125. 21. quos	quas
ib. 34. trista	tristia		

CARMINA

CHRISTOPHORI COPPOLA

PHALEUCIA ET EPIGRAMMATA

NEAPOLI
TYPIS TRAMATER
MDCCCLI.

BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

A' NOBILI E DOTTI ASSOCIATI

Fu uso comune de' secoli colti, che chi avesse dato saggio di strano valor poetico con opere universalmente da dotti applaudite, a costui si desse in dono con pubblica, e solenne cerimonia una corona. Ma io dico, è forse in questo il merito, e la gloria d' uno scrittore, che riposi sul suo capo la corona, che gli venga compartita? E se a lui tal favore non s' accorda, perchè resta il suo capo nudo, e non gliel fregiò l' alloro, sarà egli, quanto n' abbia il merito dall' onorato posto di gloria escluso? Io penso, che la vera coronazione sia quella, che il pubblico colto legga con piacere le sue opere, e nell' ora, che in qualche parte di quelle più brillante s' imbatte, gli spicchi dal seggio, ove è assiso un plauso, e con ammirazione fissandolo il vagheggia. Questo io credo, che sia il vero serto, di che possano le tempia d' uno scrittore inghirlandarsi. Il tutto è dunque in ciò che le opere, quando in esse sia valore, e merito, pervengano al colto pubblico; che le possa conoscere, ed ammirare.

Questo se sia nelle cose, che ho pubblicate, e che son per pubblicare, io nol so; nè se il sapessi il direi: Quello che è vero è, che elleno non sarebbono venute al pubblico, ove voi, o dotti, e nobili associati, non v' aveste colla vostra generosità concorso. Che faceste voi pertanto? voi apprestaste le mani, ed il serto sul capo mi collocaste. Ma in me solo ridonda ed in me riposa questa gloria, e questo bene? Udite:

Latino, latino: egli è da coltivarsi il latino: non è da lasciarsi senza questo studio la gioventù: non sia, che di quella luce manchi l' età, che alla gloria, ed alla patria s'alleva. Queste voci risuonano da per tutto. Questo dice il grave Maestrato: questo il severo sacerdote: questo il sentito giureconsulto: questo l' attento padre di famiglia: questo l' Italia, questo la Francia, questo la Germania: questo tutta la colta Europa: ma con buona pace di tutti, qual mezzo v' ha io dico, perchè questo studio si promuova; o l' unico, che oggimai rimane non è quello della gloria: e di quell' interesse, che è tutto personale; e che in colui si ferma, che di tal dovizia s' arricchisce? Ma questo mezzo come s' ottiene; o da chi parte, o in qual modo s'adopera? Qui tutti s'arrestano: qui cessa lo zelo: qui ammutisce l' amor patrio: qui s' arresta lo spirito, e la mano.

Ma a voi, colti, e generosi signori, questa taccia non tocca. Voi col fatto avete mostro, che caldeggiate i buoni studj; e ne promovete l' interesse, e la gloria.

Corra dunque per l'Europa questo grido; e sappiasi da per tutto, che la latinità trova appo noi tanto favore; che il fiore della Napoletana nobiltà stende la mano a rilevarla dall' avvilimento in che giaceva, e come di bello e leggiadro ornamento se ne fregia.

L' Autore.

PHALEUCIA

ET

EPIGRAMMATA

LIBER I.

AUCTOR AD SUUM LIBRUM, ET DISCIPULOS.

Dic tu, parve libelle, dic quo amore
Dudum pro tenera arserim juventa.
Quid cum Apolline, quid mihi et camoena?
Haec quaesita mihi? haec sequtus urbe
Hac sto? cara parens domusque testis,
Quantum olim gemitum, ejulationem,
Quot suspiria miserint dolentes,
Quod nullo duce solus, hospes, oras
Ignotas peterem, comes futurus
Durae militiae et laboriosae,
Cui sunt praelia multa cum profanis,
Et cum millibus hostium impiorum.
Ergo sidera semper, ara grata;
Spreta mollia ludicra, et jocosa.
Sed me mollit amor tuus, juventa;
Hic amor tuus est; tibi obsecutus
Mutavi cithara, et lyra flagellum.
Tibicen, Fidicen, epos, Tragoedus:
Quid tu nunc mihi, quid refers juventa?
Sunt hic carmina multa, cantiones
Diversae: hae superos sonant, et illa
Ludos litterulas, lyras camoenas;
Et haec quod sequitur decusque, honosque.

Ergo me simul impii, pique
Accusant; lepidum hi male et solutum
Dicunt; dicor at asper, hirtus illis.
Ergo si tibi gratia et voluntas,
Et memor pietas, mone, repelle
Doce, quod bene nosti: inusitati
Dic haec servitii atque amoris index.
Rudem noster homunculum iuficetum
Vatem fecit amor: levi adlaborans
Aetati et studio juvenculorum,
Visus ludere pectine, otiari,
Et si quis gravior fidem recuset,
Te probet, tua da videnda corda,
Mores ingenium: tuo Magistro
Sic tu in judicio severiori,
Testis officii innocentiaeque.
An et tu mihi nunc parum benigne,
Dente irata petis, meique amoris
Taedet et studii? licet negare,
Liberum est furere; haud carent labores
Mercede; haud mea corda tu tulisti,
Ferres cum omnia; tu tuis potita
Gaudiis frueris; mei me amores
Iesus, atque pareas remuneranter

VINUM INTER CAUSAS EFFICIENTES POESEOS A QUAMPLURIMIS RELATUM.

Adolescens sibi de hoc gratulatur.

O vere mihi nuntium beatum!
O doctum monitum optimi magistri!

Lege hoc rectius est Horatiana !
Vini carmina procreantur haustu.
Quis proh Iuppiter, haud amat poesim ?
Quis non pupulus optat esse vates ?
Vini totum opus est ; nihil laboris.
At vos interea valete abite,
Poenae, supplicia, asperique rictus,
Quae mentes quatitis puellulorum.
Num flagra et ferulae exprimunt poesim ?
Virtus tota meri est ; nihil laboris.
Quare si sapis o benigne doctor,
Pro fune, et scutica, et brevi tabella
Quae rudes simulat jocose asellos,
Ut et hi simulent pigros puellos,
Cados, pocula, dolia, amphorasque
Para, conde per atrium, scholasque ;
Ut tota haec oleat platea vinum :
Et si musa minus vocata perflat,
Et torpet gelidus per ossa sanguis,
Ingeres calices suaviores ;
Nec modus cyathis sit ullus ; omnem
Siccabo pateram cadumque ; donec
Donet Pieris excitata carmen.
Ergo cum redeam domum, parentem
Ter supplex rogo, ne librariorum
Quaerat scrinia : proximum Marotti :
Et Burellium ; et elegantem Asinum ;
Permutans stipe plurima poetas.
Quid libris opus est ; quid est poetis ?
Scrutemur potius penus, popinas
Et cellaria, et optimas tabernas,
Qualis praebeat illud, ah suave
Quod calena ferunt per arva vites ;
Quodque in vertice colligunt Vesevi.

Hoc mentes ciet ; hoc facit poetas ;
Virtus tota meri est ; nihil laboris.
O doctum monitum optimi magistri !

IN SCULPTOREM

Cum academia haberetur in sanctos, quorum statuae in D. Sebastiani positae sunt.

Et partem quoque carminum daremus
Cajetane, tibi elegantiorum ;
Quod hic tam bene tamque diligenter
Stupam pertenuem, et levem papyrum
Iussisti facies referre Divum,
Quos vel marmora et aera non tulissent.
Sed non hic animus tibi, et cupido est
Munerum ; haec aliis fruenda linquis.
Ergo quid dabimus tibi poetae ?
Tibi, nescio quo volente fato,
Sors favet minus, et molesta laedit.
Qualis non decet optimum Magistrum,
Solertissimum et omnium fabrorum.
Squales o miser, horridosque sordes
Villoso sagulo, et brevi galero,
Et cirro illepide per ora sparso.
Haud haec Parrasii, haud Scopae, et Myronis
Fortuna. Oh homini timenda fata !
Ergo si quid id est, juvatque egenum,
Hoc te munere nunc remuneramur :
Hos Divos prece plurima petemus,
Ut tanto studio, et benignitate
Te bonum artificem, atque diligentem

Iuvent, qua modo tu arte eos polibas;
Ut si, te facilem ligante chartam
Tam belle species novata divum,
Sic ipsi faciles tibi vicissim
Sortem concilient, malumque fatum,
Ut possis lacerum novare amictum,
Et curtum petasi explicare limbum;
Impleantque genas benigniores
Mensae, et crassius os, sinusque turgens
Extet, ut decet optimum Lysippum.
Hanc tu quum bene gratiam laborum
Cajetane feres, minus fatigas,
Expilans homines dein rapina;
Et quae finxeris exhibes minori;
Ut tu fingere plura deinde possis.

AD BEATAM VIRGINEM

Scholam illi dedicat auctor Salerni docens.

EPIGRAMMA

Hic quoque, Virgo, tuae tangunt praecordia flammae;
Dantque manus thuris munera, et ora precum.
Ergo mihi spes est, si te vocat ista iuventus,
Ceu quae Pausilypi florida rura colit:
Et flammam ingeniis, et pennas adfore menti,
Quo duce me Pindi scandere saxa queat.
Quod si quid poterunt te pectora ferre fovente,
Munera, quae gaudes saepe habuisse, capis.
Quin tibi, quos nectit numeros tam largior affert,
Quam major gelida est corda calere, favor.

NUNDINAE SALERNITANAE

EPIGRAMMA

Septembris venere idus : compendia terris
Diversis portans undique turba ruit.
Venit ab externo mercator littore ; ab agris
Upilio ; a castris miles ; ab urbe faber.
Et Lucanus adest, et fertilis incola Liris ;
Umber, et undosi qui colit arva Padi.
Iungendos hic portat equos, hic textile linum ;
Hic cererem, vas hic fictile, et ille pecus.
Haec parat aere dato civis : sed sacra Minervae
Qui petat, aut vectet munera nullus adest.
Ergo brevis vobis cives, et inutilis usus
Rerum : absit virtus, copia luctus erit.

DE ELOQUENTIAE USU.

Haec superum in regno lex est et maxima legum :
Vivat homo membris, pectore, mente Deo.
Ut bene dicamus, res quaerere mente, decoro
Gestu agere, ac calido corde movere opus est.
Ergo si quicquid fas est mihi dicere, coelo
Servit, quis totum me neget esse dei ?

IN OBITU FRANCISCI MANZI IN SALERNITANO EPHEBEO AL.

Quos frater mihi carior salute
Non tulit lacrimas, ruens ad umbras,
Quos nec dulcidulo meo parenti,

Cum mors abstulit, obtuli dolores;
Quas nec exprimerent meis ocellis,
Vel si mi raperent cutem, et cruorem,
Tu Franciscule belle, belle Manzi,
Capis lacrimulas amariores:
Nec tantum has, tibi quas dedere cuncti;
Sed magnam insuper ejulationem,
Et manum crepitum, ulcera et genarum,
Percussumque sinum, comasque vulsas.
Heu heu quid mihi tristius, quid unquam
Durius fuerat molestiusque?
Ille Liliolo par et ligustro
Nitebat vario flagrans odore;
Fulgens candidulis genis et ore;
Cujus tempora flosculis capilli
Tegebant similes; levemque frontem
Ornabant facibus pares ocelli.
Ergo omni mihi flosculo et colore,
Omni mi dape dulcior puellus.
Qui me saepe rogare, adire, amare
Mos; et ut teneri solent catelli,
Circum ludere, saltitare; et ima
Libellum modo ab arcula trahebat,
Furans callidior; modo rogabat
Vellem carmina, cantiunculasque
Ipsi pangere, quae daret parenti,
Munusque acciperet nuces et asses.
Hunc nunc tussis anhela, et atra tabes
Quae pectus misero jecurque coxit,
Heu quater tribus abstulit diebus;
Ut nec pocula juverint medentum,
Nec matris miserae, sodaliumque
Preces, lacrimulaeque, vota, lessus.
Ergo et funera quae timemus omnes,

Mi tu dulcia, cara fata, mortem
Suavem facis, o tenelle Manzi,
Si per ipsa iterum tibi licebit
Conjungi, ac roseum videre vultum,
Affarique, suaviari, amare.
At nunc quod licet integram, pudicam
Vitam, et candida pectora aemulabor;
Totum ut te referam, tuosque mores.
Ut cum me dolor iste, et ista cura
Vita solverit, heu nimis molesta,
Tecum jure fruar, bonoque eodem.
Nec alter locus, alteraeque sedes
Istic me capient; tibique junctus
Ducam inter superos dies perennes.

AD S. SIMEONEM.

Hac ne, sancte senex, Dei parentem,
Quam lex hisce negat sacris teneri,
Quod non laeserit alvum et ora tabes,
Vates excipis adlocutione?
Heu quo vulnere figitur misella!
Haeret pallidula; intima et medulla
Tua carpitur adlocutione.
Nam quid durius est acerbiusque?
Hunc bellum puerum, tenellulumque,
Quem medullitus usque amasti, amasque;
Cui centum dare basiationes,
Milliesque sinu fovere gaudes,
Brevi millia tela, mille dicis,
Linguae vipereis amariores
Petent morsibus, et perit puellus!

At si tam tibi mens acuta, ut omnis
Temporis videas futura vates,
Certe noveris, ut favente coelo,
Hunc ipsum tenerum, bonum puellum
Totus qua patet orbis osculatur,
Dolens noxia facta, seque culpans,
Quod suum dominum, Deum, parentem
Tanto fixerit inscius dolore.
Mutabitque crucem corona et ara;
Qua pronus colit offeretque vota.
Haec ergo miserae canas parenti:
Eruntque apta levamina, et medela,
Qua factum coeat dolore vulnus.

IN D. HIERONYMUM

EPIGRAMMA

Ponite tela viri, queis sit figendus iniquus
Elvidius; non est apta sagitta malo.
Tartareis ardens flammis est impius ausus,
Virgineum Mariae commaculare decus.
Telo opus ergo novo: figendus acumine dirus
Hostis; at ornanda est floribus integritas.
Talis Hyeronimi stylus; dat saltus acumen
Horridus; at flores queis micet illa, Helicon.

AUCTOR AD BEATAM VIRGINEM ET DE SUO NOMINE.

EPIGRAMMA

Quidquid dat florum, dum Maj Luna refulget,
Tellus, haec praebent templa, Maria tibi.
Ipse etiam hac Luna volvente ad luminis auras
Prodivi; et dicor nomine Christophorus.

At me squalentem, et permulto crimine foedum
Adstare ante tuas non sinis ipsa genas.
Sed neque rejectum templo me colligat ulnis
Alter, et illecebris destinet, ipse sinam.
Ergo me voveo tibi, Mater, tu modo digna
Sint sanctis aris haec tua dona face.
Est tibi vis qua me cures; hac pectora tangens
Muta, et te dignus tunc ero Christophorus.

IN HORTULUM AD LUDUM AUCTORIS CONSITUM.

Vige, funde benigne, agelle, flores,
Funde largius; omnia hic et illic
Tuo, diruta saxa foetidique
Mulceant animos odore tophi.
Hoc est vincere nauseam, et dolorem
Quem malus ciet hic vapor palusque.
Nescis tu cui destinant magistri,
Quos gignis varios, agelle, flores?
Virgo est quam pueri vocant parentem,
Quod mater fuit omnium parentis
Dei; cum pueri subit figuram:
Huic nos vovimus, ut suas ad aras
Quos ferret numeros, bonosque versus
Calens ingenium daremus; atqui
Doctor terruit: aethere in supremo
Adsueta aligerum choris, virisque
Regina, his numeris laboriosis,
Plenis ruris, et inficetiarum
Aures applicat? hos amet necesse est,
Quae per littera summa ditiorum
Purgat lintea, foemina et maritus.

Ergo ne careat honore Virgo,
Flores pro numeris damus, precesque.
Quod si praesidio suo, piique
Doctoris, viget ingeni favilla,
Ut quae existimet auribus Mariae
Digna carmina, concinamus olim;
Haec virgo capiet; tuosque flores
Sumit, cui minus ingeni, atque mentis,
Sed barbae decus hispidae atque longae,
Ut pectus decoret, comasque et ora,
Queis abest pietas, abest Camoena.

EPIGRAMMA

Vovimus: huic nostro faveas, si Virgo, labori
Quae referet virtus, praemia cuncta capis.
Si sit caelicolas imitata e more tabella,
Ante tuos stabit picta tabella pedes.
Si placet, ut digna est pubes, donare libellum,
Ad tua suspensus signa libellus erit.
At si, quod timeo, doctor castigat inertes
Probris, haec quoque erunt, o pia virgo tua.

LIBER II.

AD CLARISSIMUM EQUITEM RODERICUM NOLLI

Nolli, si numeri mei et camoenae
Nunquam praelia, facta, nationes
Victoresque duces sonant, et arma;
Non hoc ingenii est feri, et maligni;
Sed mentis bene callidae, atque acutae.
Nam nec Christiadum referre ritus
Moresque, et studia, et graves labores
Chiabrerae cytharam, lyramque Texti
Audis, aut numerosa plectra Monti.
At bene haec facili edidere cantu
Vates, queis studium et labor sacrorum.
Sic conabula, facta mira, funus
Iesu personuere plectra Vidae:
Sic et Sarbivius Rapiniusque, et
Nostrae gloria Masculus Camoenae,
Novis tempora laureis Comasque
Ornant indigetum recentiorum.
Sic me nec stomachum ducum, nec arma
Regum, aut assiduos juvat labores
Viri ferre lyra negotiosi;
Nec quas delicias capit per agros
Venator capreas agens, et alto
Ducens aequore pisculenta nauta,
Quem vitae studium severioris
Jubet per tenebras silentiumque

Profunda superos adire mente ;
Aut gentes superum docere jura.
Ergo me clypeo instruas, et hasta,
Et ponas acies et inter hostes,
Dicam praelia, vulnera, et triumphos :
Alter Virgilius, novusque Moscus
Dicam pascua, Titirique mores,
Si me per sata liberum vagari
Sinunt, et patrios arare fundos ;
Et reges mea plectra principesque
Merebunt, sua si minus severa
Altero e genere impolitum, ineptum
Admittitant hominem atria, et penates.
Haec vates celebrem laboriosus,
Quae mores, studia edocent, locusque.

PUER CUM RHETORICAE DATURUS ESSET OPERAM

Ad B. Virginem

Mater, quae teneram benigna prolem
Spectas lucidulis tuis ocellis ;
Mater, cui bona pax salusque mundi
Et risus placet, et quies juventae,
Te nova prece, supplicique vultu,
Iamdudum tibi debitus juvencus,
Ante aram rogat, ut tenebricoso
Vires tempore praebeas, opemque.
Audi quod misero imminet periclum :
Dum per otia solverer beata,
Quae rus, et vacuum labore tempus
Autumni dabat, et benignus annus,

Raptus illico ad arduum cacumen
Tollor inscius, unde nec redire
Liberum est, neque fas frui quiete:
Nam ludus novus, et novus magister
Extorrem capit; hic inusitati
Mores, et studia; hic iniqua cura,
Rictusque, et rabies, gravesque leges:
Qui non quotidie feret trecentos
Aut plures numeros perelegantes,
Hic vel verbera et ustulationes
Feret; vel jacet angulo otiosus,
Quo rodant culices, araneaeque.
Quid fiet mihi, mater, inficeto,
Tardo, frigidulo, supino, inepto?
Nam dicunt mihi proximi sodales,
Haec non tempore, ut omnia, et labore
Gigni, nil studium valere et artes:
Unum suppetere haec Deum, et parentem:
Cui negent superi bonam, et benignam
Mentem, quae caleat feratque carmen,
Huic semper male sit, nimisque durum.
Ergo te genitrix, tuus puellus
Per tuum rogat aureum puellum,
Ne tanto innocuus premar labore,
Nam meus mihi rettulit sodalis,
Haec te munera populis benignam,
Si te rite rogent, dare, et daturam,
Ut coetus modo rettulisse fertur,
Qui nunc Socraticis vacat libellis.
Nam cum languidulum jecur teperet,
Et frustra numeros diu et calorem
Cierent studio, et precatione,
Coelestes subito flagrasse tractus
Dicunt, et gravidas ruisse nubes,

Plenas versibus, et suavitate,
Quas te coelicolae dabant jubente.
Quid ni me pariter remuneraris
Fidelem puerum, et pium clientem?
Nam non Vesvius hos, nec ignis ille
Fumosque, et piceae merentur undae,
Quae nostras rapiunt domos et agros:
Tibi, quae dederis, statim redibunt.
Non me praetereat dies, et hora
Qua non carmine plurimo salutem.
Carmen accipies grave, et severum,
Quale est Virgilii, aut Horatianum,
Quo regnum recinam tuum, et triumphos.
Dein versus capies Catullianos,
Quo canam puerum tuumque amorem:
Et cum Callimacho, Propertioque
Solabor lacrymas, gravemque luctum.
Haec tu dona feres, probasque munus
Mentis innocuae, levisque dextrae.
At si destituis, negasque, ut olim
Felix ingenium, bonamque linguam,
Te prement tenebrae, tuumque nomen
Non haec atria, non domus sonabunt.
Loris scilicet horridi atrienses
Secabunt misero manus, pedesque.
Ergo quod dolor afferet, laborem
Dicam, tristitiam, meumque luctum,
Stridens perpetua ejulatione,
Non te, non tua facta, non amores.

VOTUM AD BEATAM MARIAM VIRGINEM DUM DUO HUMANIORUM LITTERARUM CLASSES IN UNAM RHETORICAM COALESCERENT

EPIGRAMMA

Conjuncta officio, quamvis disjuncta magistro
Atque loco pubes, haec tibi grata fuit.
Quippe tibi plausit, sed erat symphonia dispar,
Ut disjuncta loco, dissociata sono.
Nunc capit una domus, classem unus utramque magister
Format, concentus una Camoena regit.
Ergo si libeat te dicere, gratius aures
Mulcent: unus erit cantus, ut unus amor.

ADOLESCENS QUI AD RHETORICAM GRADUM FECERAT AD MAGISTRUM

Cholera morbo saeviente.

Vides, optime doctor, aequs omni
Custos tempore duxque pupulorum,
Quotquot Pieridum ambiunt cacumen,
Ut circum ruit, et fatigat omnes,
Ille heu pessimus omnium malorum,
Quem dicunt homines Cholera Morbum?
Urget, diripit, hunc petens et illum;
Succos nil veritus medentum et artes.
Quin nec templa, domosque sanctiorum.
Ergo id pectore toto, et ore cuncti
Prono poscimus, ut benigniori
Nos spectes oculo bonos puellos;
Illamque heu nimiam severitatem
Quam jam dudum animi mali excitarunt

Populi ingenio nimis calenti,
Paulum contineas, amesque totus.
Namque hoc judicium esse doctiorum
Vulgo dicitur, agger ut secretus,
Postisque aeneus, arduusque murus
Hic sit, qui prohibet Cholera Morbum,
Si quis nil timeat, nihil laboret;
Agat perpetua beatitate,
Dies, et placido sopore noctes.
Sint dulces epulae, boni liquores,
Seu quos cella dabit Calena, seu quos
Fundit guttula sancta Vesviana.
Ergo quos monitus gravesque leges
Servant scrinia, sordidaeque capsae,
Queis mos excutere est solutiores,
Absint auribus usque et usque nostris.
Illic sepositas terat rubigo,
Muresque et genus omne aranearum.
Hae terrent bene pectus insolentum.
Quales difficiles nimisque duros
Non flectes oculo, piisque dictis.
At nos jam satis edomat Cholera;
Et mites facit, et terit; jubetque
Leges accipere et pati labores.
Non nos ad caput obstrepentis undae
Confertim, aut patulae ilicis sub umbra,
Toto mane velimus otiari,
Aut flores legere, aut apud tabernam
Plena ducere pocula ebriorum.
Haec optant sibi negligentiores.
Nobis id satis est: modo impetramus:
Labor sit modicus; vacare multum;
Non sint limina clausa: detur ire
Foras cum lubet, et caput laborat;

Angustique animi appetunt vagari.
Aut si stare jubes, vetare nolis
Incerni latus, exilire, hiare,
Alternaque frui alloqutione.
Haec sunt, si dabis, o benigne doctor,
Quae pellunt procul improbum Cholera.

DE MONTIS VESUVII INCENDIIS

Ecquid mota tremit tellus, quid saxa fatiscunt,
Et flamma erumpens arva domosque terit?
Non haec infensi furor implacabilis hostis:
Non coelum et Stygii principis ira facit.
Ergone, quos struxit tellus, nunc invida perdet
Natura, et praedam sulphuris esse sinit?
Sed frustra querimur nati; non illa noverca;
Sed nos degeneres: justaque poena premit.

IN PAGUM A MONTE VESUVIO INCENSUM.

EPIGRAMMA

Tellus quam cernis viduatam civibus, hospes,
Non bello, aut armis victa, sed igne ruit.
Si sapies quoniam potes, et tibi prospicis ultro,
Damna tua alterius disce cavere malis.
Igne cades ustus, ni pectoris impiger aestus
Compesces, dum cor atra favilla tenet.



CUM HABERETUR ACHADEMIA IN SANCTOS QUORUM STATUAE IN D. SEBASTIANI POSITAE FUERANT.

IOCUS

Divum carminibus, bonoque cantu
Facta prosequimur, damusque laudes;
At quanam licet arte, quove ritu
Ornare, et facere elegantiores,
Nullus edocuit poeta, vultus.
Non hic carmina, non boni poetae
Prosunt; haec rapidi ferunt per auras
Venti, et adveniens terit vetustas.
Hic nummis opus est, manuque larga.
Quid cessant, pueri, aera, quid profundus
Tenet sacculus otiosa? vita
Vobis incolumis, domusque, et anni,
Non lingua et numeri, et leves capilli.
Ergo pro incolumi canora vita
Datis carmina, quae volant per auras?
Nummos ponite quotquot hic habetis.
Videtis, paries quot hic fatiscens
Tineas generat, teredinesque?
His rodentibus, o leves labores
Nostri, non stabiles, parumque firmae
Fictiles superum, occidant figurae!
An has ex solido putatis aere
Factas, marmoreasque inesse vires?
Charta est o pueri, et levis papyrus,
Cum stupa tenui, et pice, atque filo:
Venter ligneus est; dolosa marmor
Mentitur species foris colorque;
Has ni vos studio, pecuniaque

Firmetis, tueamini, angeatis,
Fractae continuo avolant per auras.
Quod si quid superest, libenter ipsis
Concedentibus alta in aede Divis,
Licebit dape commoda meroque,
Quot sunt aeditui, atriariique
Instaurare, fovere cursitantes.
Ergo ne rigeant manus puelli;
Si tam garrula plectra tinnierunt;
Tinnitus melior pecuniarum.

LUDICRA ADOLESCENTIS AD D. ALOYSIUM VOTA

Si meos oculos malae tenebrae
Haberent, neque fas videre lucem,
Aut quod tabida pituita ventris
Laesisset caput, aut gravarit humor,
Tuo, Loysides, meis ocellis
Rediret cito lux, salusque dono;
Ut tuam prece gratiam adprecarer;
Tuo si sibi restituta nutu
Sensit lumina populus Foletti,
Si verum monumenta rettulerunt.
Umbris ast aliis miser laboro,
Quae lucem ingenii auferunt ocello;
Quo non aut vario venusta flore
Arva, aut sideribus micantem Olympum,
Sed quaeque ardua et invia adpetamus
Multa carpere cogitatione.
Quare per varias vagor pagellas
Anceps, desidiosus, impeditus;
Huc illuc feror, avius pererro,

Delibans animo modo hoc modo illud ;
Qualis per latebras suae cavernae ,
Cyclops fagineo regens bacillo
Gressus , ire dies miser solebat ,
Cum ferrugineam genae fenestram
Ulysses trabe triverat praeusta.
Ergo nescio, quo modo atque casu,
Quamvis perlego ter quaterque tentans ,
Nil haeret capiti , estque mens inanis.
Dumus Tullius est ; rubeta Flacci
Versus ; Livius invius ; tenebrae
Densae Virgiliana charta , teter
Carcer Gretserii , domusque Averni
Homerus , nebula atra sempiterna.
Ergo quo numero tibi modoque
Plaudam Loysides , diemque dicam ,
Si nil ingenio est , nihilque prostat ?
Quare aut restituis meos ocellos ,
Queis me , nescio , quae malae tenebrae
Orbarunt , valeamque adire libros ;
Aut si , quae misero abstulere ocellos ,
Immanes maneant mihi tenebrae ,
Nec unum accipies deinde versum.

RESIPISCENTIA

Si quod proposita me cogis spernere lege
Id vito , Sancto hoc jam fit amore Deus.
At si praescriptos ducente cupidine , fines
Praetereo , et doleo ; et hoc sacra flamma facit.
Ergo si parens, et quae peccavero damnans,
Diligo te , nunquam pellere jure potes.

IN PIGRUM

Undantem fortuna sinum mihi praebeat auro ;
Splendida et insolita sit mea luce domus ;
A sera adductas multa regione peritus
Doctus in urbe dapes condiat arte coquus ;
Insolito tumidum det pectus Apolline versus,
Quos longa aeternet fama canora tuba :
Sit bene firma salus, sit mens mihi libera curis ;
Laetitia pectus ferveat, ora micent :
Si semel aspicio Ciccum per scamna jacentem,
Deficio ; nulla est copia ; vita gravis.

EX INTEGRITATE PULCHRITUDO : LAUDES D. STANISLAI

Quid tu quid Ligurine, per parentem
Et si quid melius que dulciusque est
Oro ; noctivagus vides per altas
Ædes nobilium, quid ora ducit ?
Num te purpureo colore sparsae
Detinent facies, comaeque pexae ?
Cumque ad Pausilypum pedes tulisti,
Huc atque huc cupidos ferens ocellos,
Quid hinc, quid cupidi tulere ocelli ?
Ecquis flosculus ille, quaeve messis
Fuit, cui bibulum admovere nasum,
Et manu legere et tenere avebas ?
Est nobis, tibi si videre cura est,
Pulcher flosculus, albicans odorus ;
Quem non sol terit, aut gelu, aut vetustas.

Hunc ut ipse semel, docente patre,
Vidi, et cominus attigi, et probavi,
Non ullae mihi floruere messes:
Omnis flos specie carere visus.
Hunc et si videas, amice, mecum
Non te grata capit deinde scena;
Deformes facies putas, genasque
Pictas, et pudet hos amasse vultus.
Hic est kostchiades, decus juventae,
Regumque, et puerum optimus patronus:
O quod purpurei decus labelli est!
Qualis virgineus nitor genarum!
Flavet, albicat, emicat, rubetque!
Quodvis officii elegantiaeque est.
Quaeris, si liceat tibi nitorem
Integro similem uspiam aemulari?
Dicam quae puerum ars modusque juvit:
Manum non semel huic venus tetendit,
Emittens jaculum, et graves sagittas,
Optimum decus invidens puello;
Laesa sed doluit, manumque traxit.
Namque cum decus integrae medullae
Amaret juvenis, bonaeque mentis,
Et malam illuviem, gravesque sordes
Vitare, et superum calere amore,
Multo munierat labore vitam.
Et flagra, et scutica, et serae, et flagella
Erant, et taciturnitas; et umbra:
Ut hortum solet impiger colonus
Circum sentibus, et vepre et myrica
Saepire, ut calides hiare cani
Lilii incipiunt rosaeque odorae.
Ergo grata fuit, et est, eritque
Vita kostchiadis, bonumque nomen;

Quem si qui sapiunt, amantque puros
Mores et decus integrae juventae,
Probant; sed fugiunt licentiosi,
Foedique, et quibus est amicus Orcus.

DE MONTE VESUVIO E REGIONE URBIS NEAPOLIS.

Saepe Deus dixit Syreni: desine vitae
Obscoenae tandem, cordaque foeda nova.
Illa abiens spernit, nec dictis applicat aures;
Liberiorque audet deteriora sequi.
Tum Deus; adde modum rursus sordentibus inquit
Moribus; atque animos qua decet arte rege.
Ni facies damnata doles; est nam mihi teter
Carcer, ubi aternum flamma reos cruciat.
Illa fidem haud adhibet dictis; fruor inquit amico
Tempore; quis novit, quid feret hora sequens?
Ergo Deus: ne mendacem me, perfida, credas,
Sint, ait, ante oculos tartara nigra tuos.

NEAPOLITANUS EXACTO TEMPORE QUADRAGESIMALI

Absint deliciae, vetusque Luxus,
Et mensae illecebrae voluptuosae;
Si tantas mihi parturibit esca
Poenas in latebris tenebricosis,
Quot mi fatidici annuere vates.
Non ultra in stomachum meum, nitenti
Porrectae in patina cadent bovillae,
Quas olentibus educat viretis
Surrentum, aut capreis amica perdix,
Aut pingues amates, levesque turdi.

Quid tali juvat helluatione
Vires conficere, impedire mentem?
Ergo non solitum meo severus
Indicam stomacho gulaeque bellum:
Tot jejunia et esuritiones
Solvent ingenium, explicantque ocellos,
Quot dapes fuerunt diesque laeti.
Sim primo penitus levis sub ortu
Solis: vel calidas recuso lymphas,
Quas rite Indica bacca temperavit,
Ut amaritie eluant vagantes
Per praecordia et exta plena succos.
Aqua virgine fictili in catino
Elatis siliquis, tribusque frustis
Exsecum foveo, irrigoque ventrem.
Sic totus vigeo; redit medullis
Ardor, et species vetus genarum,
Quam longae nimis abstulere mensae!
Alter Loysides ero, novusque
Bruno, queis nimis esca larga, frustum.
Haec cum dixerit Oscus, astra testans,
Ecce Taltibius coquus, monente
Nola jam medium diem, scatentem
Tortili simila attulit patellam,
(Dicunt maccara civis hospitesque)
Hinc et inde manu tenens utraque.
Ut nares vapor ille et ille nidor
Contingit, color et rubens ocellos,
Exilit juvenis, tumet pupilla;
Ad mensam ruit; accipit tridentem;
Circino glomerat, levesque buccas
Distendit cumulus; tribusque tota
Momentis stomacho abditur patella.

LIBER III.

IN PSEUDOPONTIFICEM GOAE CREATUM.

Peponem mihi vinea educavit,
Grandem, puniceum, uberem, patentem.
Dein frondes mihi latius tetendit
Ingens ficus, ut hinc et inde campum
Umbret; quod pluviis insitatis
Terram diluit urna aquariusque.
Mustela insuper abdita e caverna,
Cujus non modo felis, at molossus
Rictus horridaque ora non ferebat,
Pedes in laqueos dedit paratos;
Captam lixa domesticus cecidit,
Detractamque cutim aura solque siccat.
Quod sit consilium mihi explicabo.
Est hic fama, neque haec vaga est levisque,
Novum pontificem recentiori
Creatum studio Indicis in oris.
Hic summa illico creditus thiara
Dignus judicibus popis, Camillis
Sagis, militibus, calonibusque.
At insignia digna, et apta desunt;
Addam si placet ipse, quae calones,
Nunquam visa prius, probent popaeque.
Caput grande teget pepo expolitus.
Hic illi tutulus, thiara, apexque.

Contexam tria deinde quatuorve
Felicis folia arboris : decoram
Sic habet trabeam, decensque textum,
Quod vastos humeros latusque utrumque,
Et ventrem, iliaque, inguinemque cingit.
Pedi denique suppetit cothurnum
Insignem, varium, levem, et tenacem
Mustelae corium, modo repertae.
His insignibus optime nitebit,
Pontifex novus Indicis in oris ;
Quem vulgus Medium accipit poparum.
Et late cacabis lebetibusque
Concrepat, crotalisque, cantharisque,
Plaudens Pontifici novo poparum :
Quem dein posteritas stupens vocabit,
Magnum pontificem peponianum.

INCOLA PAGI A VESUVIO VASTATI AD HOSPITES

Urimur, atque hominum spectacula tristia ocellis
Dant rura, et raptas flamma inimica domos.
Oh si qua pietas et te mortalia tangunt,
Quisquis ades, miseris quam licet, affer opem.
Nos premit hic ignis ; sed si tua viscera claudis,
Te flamma, o hospes, non peritura manet.

AD PUERUM CORONA DONATUM, MONITUM.

Hanc quam, pupule, nunc damus coronam,
Non genus tibi regium, nec arma,
Nec casus varii periculorum,
Nec nummi peperere, nec dolosae
Artes, fallere queis soles sodales ;

Sed durus labor ille, et ille sudor,
Quo fessum caput, et manus rigasti,
Per noctem vigilans laboriosam.
Sic nunc quam capiti damus coronam
Iam non iurgia saeva, non lacertos,
Nec pedum strepitum, gravesque rictus,
Et buccas tumidas, levesque saltus
Dein servare putes, dolosque, et astus,
Queis uti pueris calonibusque
Contingit bene per fora et popinas.
His utens, capite haud tenes coronam.
Haec Phaebi domus est, bonique amoris;
Et jus est, pietasque cum Camoenis.
Ergo qui peperit, deditque sudor
Laborque assiduus, brevesque noctes,
Haec servant capiti, puer, coronam.

IN MALA IMPUDICITIAE

EPIGRAMMA

Si friget iecur, et nullus praecordia motus
Excitat, et Veneris non mihi tela nocent;
Non hoc, aut tenuis faciunt jejunia mensae,
Aut gelidus, nulla veste tegente, sinus;
Nec quod spinoso cingam mea corpora amictu,
Aut duro soleam nocte cubare solo;
Nec mihi flagrorum, scuticae nec cognitus usus,
Cura nec ad vigiles psallere nocte faces:
Languentem venere adverso sub fornice Balbum
Vidi praeteriens, ignis et omnis abit.

AUCTOR STREPITU MALE TORTUS

Ne maneant campo, ponantque in gramine nidum,
Aere cavo timidas terret arator aves.
Hospita tu sonitu mihi tellus obstrepis aures ;
An me fastidis, et procul ire iubes ?
Ne doleas, mea ni fallor fuga proxima ; liber
Sic ero ; te forsan, me cruciasse piget.

DE LILIO QUO STEMMATE EPHEBI IN D. SEBASTIANI ORNANTUR

Non quod pro tripode, et lauro sibi lilia sumit
Borbonidum, hoc bellis est minus apta domus.
Lilia Virgineum designant cana pudorem ;
Quis nescit vires virginitate dari ?
Hoc est cur Princeps donat sua lilia pubi,
Quam vult imperii pondera ferre sui.
Sperne rosas, avida pete lilja mente iuventus,
Nusquam, si deerunt lilia, laurus erit.

AD JO. BAPTISTAM BUSSI BENE : ARCHIEPISCOPUM

Adsuetus doctos moderari lumine coetus,
Et regere imperio resque hominesque tuo :
Ecce ades ut nostra excutias, vir maxime, mentem,
Et tentes rectam si tenet illa viam.
Mitte precor trutinam, qua rerum pondera libras :
Pone graves animos, pone supercilium.
Nam si nos acri, qua dirigis omnia mente
Excutias, cujus non cadit ingenium ?

AD NEAPOLIM

Dum vaga Parthenope se multa per otia solvit,
Immiti Stygius corripit ore draco.
Ergo Virginei clamat memor illa triumphi:
Affer opem Virgo, iam perii, affer opem.
Fallitur infelix: dirum premit illa draconem:
Una cum pasto tunditur esca pede.
Ante cave gens stulta: uno sic pectora servas
Officio: pietas et mage grata tua est.

DE B. VIRGINE SINE LABE CONCEPTA.

Quamvis per sepes densis circum obsita spinis,
Integra candorem lilia cana tenent.
Nil etiam dicunt nocturni hausisse vaporis
Vellera, in areola quae Gedeonis erant.
Immunemque suos vidit contemnere fluctus
Arcam diluvium, quo genus omne obiit.
Fatidici vates Mariam cecinere futuram
Liliolis, arcae, velleribusque parem.
Ergo quis dubitat quin nullam senserit illa
Labem, divino Virgo favore parens?

AD BEATAM FRANCISCAM A QUINQUE PLAGIS ADOLESCENS

Non tu, cui mala millia, et dolores
Francisca, interiorem edunt medullam?
Non haec illa domus tenebricosa,
Quam circum volitant lues, labores,

Tristis pauperies, gelu, pruinae,
Et mali lemures, Strygesque, et irae
Insanorum hominum, invidique vulgi?
Eccur tanta tibi quiesque paxque est?
Frustra se tibi comparant puellae,
Quas ornat niveo colore cipris.
Nam tu laetior es, beatiorque
Regis conjuge, nobilique coetu,
Cui sunt mollia strata, picta tecta.
Rugosa haud tibi frons: genae renident;
Vultus floridus est; labella risus
Lenis explicat: ut loqui necesse est,
Omni dulcior est sopore sermo.
Ut spectas, animis statim reducis
Spes; ut alloqueris fugas labores.
Atqui tu vetula es, tibique morbi
Omnem ex ossibus auferunt vigorem.
Virtus scilicet integrae ista vitae est;
Est et gratia matris, et puelli
Quos nos dicimus omnium parentes.
Sed non omnibus aequus ille, et illa;
Aversos facimus leves morosi.
O tectum mihi nobile, ac beatum!
O flos maxime Virginum Italarum!
Te si non adii ante, si recessi,
Ignoscas mihi, Virgo, te molestam
Fecerunt mihi garrulae invidorum
Linguae, queis male sanum, et inficetum
Quicquid non leve, non voluptuosum est.
Nunc tibi usque adero; tuoque vultu
Ut Musa soleo, et lyra, levabor.
At tu ne nimis aequa tum clienti
Irascare tuo; est enim calescens
Pectus; atque aliquantulum inquieta

Aetas ; libera , mobilis , iocosa.
Non mi noxia facta , faeda grata ;
At non stare placet , placet moveri
Ridere , ire , redire saltitare.
Hoc queis ingenium est grave , et severum
Odere , ac miserum usque et usque plectunt ;
At tu me recipis , foves benigna ;
Blandiris quoque , nec sinis dolere.
Nam tu non animo Catoniano
Pia es , sed bene lege Christiana.
Quare haud oderis , ejicisque quemquam ,
Quod levisculus est , et indecorus.
Ergo me bene colliges , amabis ;
Iuvasque adloquio , et precatione ,
Quo sim compositus , modestiorque.

DE EADEM

Integra quo servet nativum intacta nitorem
Francisca , hanc opus est aspera multa pati.
Deficiunt vires , serpit per viscera tabes :
Torquet membra dolor , conficit ossa lues.
Contemnit vulgus , rident puerique , senesque ;
Pellit quisque , parens ferre nec ipse potest.
Ergo quis dubitat quin multis undique bellis
Pectora Parthenopes insidiosa petat ?
Sic quam densae urgent acies , gravioribus urbem
Bellator telis , aggeribusque tegit.

IN EAMDEM

Integra eris , dixit Iesus Francisca , labores
Si tua membra terunt : gaudet et illa teri.

Quid si pauperies urget frigusque, famesque?
Integra sim dixit, nec movet ista fames.
Ferre odia est quandoque opus, et maledicta malorum:
Spernar: mi satis est integritatis honos.
Disce puer, quae sit custodia habenda pudori,
Si mutare suos hoc amat illa dies.

AD D. SEBASTIANUM CUM CEREAE TAEDAE AB EJUS ARA FURTO ABLATAE FUERINT.

Qui centum cuneos bonus fugasti
Miles Caesareas sequtus iras,
Tuam non potis es domum tueri,
Unus jam Superum Sebastiane?
Haec custodia? sic meos labores?
Ergo non opus est rogare, adire,
Mentes excutere, excitare lingua,
Ut mos est mihi, dum tibi adlaboro,
Quo domus tua fulgeat decenti
Cultu splendida, si mei labores
Sic impune abeunt, nihilque tutum.
Aper scilicet hac latet sub aede,
Erratque atrio in hoc tenebricosus!
Num fallor? modo credidere thaedae,
Et sacer focus, et pii penates:
Proh nefas, sacra lumina abstulerunt!
Aper quisquis is est, sed ungue certe
Et morsu nimis atrio scholisque
Malus, quem merito execrantur arae,
Cunctique aedituique, vernuláeque.
Ergo disperunt pii labores?

At tu Pieridum, Sebastiane,
Et templi columen, lyraeque custos
Nostrae quae tibi plaudit, ut patrono;
Tene vestibulum, obside plateam;
Terre luminibus, move, fatiga:
Quod si non redit ad suam cavernam,
Telum corripe, quale adhuc cruento
Haeret pectore, mitte, fige mostrum:
Tantis caede manum ictibus caputque,
Quanta lumina sancta devoravit.

INEXPLEBILE D. ALOYSII PATIENDI DESIDERIUM.

Viderat averso Ludovicum adstare magister
Vultu, et pallidulas spargere rore genas.
Quae te cura coquit, dixit, quae causa doloris?
Dic age ne cordis taedia tanta tegas.
Num bigas piget, et sceptrum liquisse paternum;
Aut procul a patria poenitet esse domo?
An quod pro clamyde aurata, insignique Galero
Regales artus rustica lana tegit?
An stratum refugis, brevis et jejunia mensae,
Aut quod saepe humeros saeva flagella secant?
Quidquid id est quod te laesit, fateare; sed ille
Respondit: mollis vita, patique parum.

LIBER IV.

VOTUM STUDIOSI ADOLESCENTIS AD APOLLINEM

Cum Aloysius Zerbinatti adversa valetudine a ludo recessisset.

Phoebe Castaliae potens coronae,
Et vos Aoniae inclitae sorores,
Sic vestrae artificiem suavitatis
Custodistis, et optimum magistrum,
Quem sacris aluistis in viretis?
Heu Aloysium optimum magistrum,
Nobis pessima vulnera abstulerunt,
Queis pectus doluit laboriosum,
Quod vestra caluit diu favilla!
Et nunc ah procul a suis puellis
Artes, nescio quae truces medentum
Plenae tristitiae, molestiaeque,
Vexant immeritum aeriterque torquent!
Ergo restitui suis puellis
Nulla est spes, tenero et frui labello;
Unde mille fluenta gratiarum
Manant, et latices venustiorum.
At si tam tenerum, et pium magistrum
Invidit mala pituita ludo,
Eccur dulcidulus Latinus, ille
Cultor Italicae optimus Camoenae
Non adest studiis juvenculorum?
Saltem illi similem Peresium, vel
Francum proximum, et aemulum Ramirum

Donate, ut valeant chori, vigorque
Accedat numeris juvenculorum.
Quod si credere vestra plectra et artes
Doctori placuit labore et annis
Attrito, et studio severiori,
Quo mentem eloquio excutit malorum,
Huic, oro Aoniae o piae sorores,
Tuque phoebe Helicouidum patronus,
Vires addite, quot decet libetque,
Ne fimus stomacho haereat ciborum,
Quo tabum, et macies gravesque succi,
Qui cuti horribilem afferunt dolorem;
Quo nec carmina ducere, et tenere
Fas aures; iterumque nos relinquat
Per vestrum nemus avios, Laturos
Probra millia negligentiorum.
Quare pro numeris, sonoque linguae
Rursus lacrymulas et ejulatus
Cives accipiunt, bonique amici.

IN D. ALOYSIUM

Certabant pueri, quem possent ponere florem
Loysidi, tandem lilia cana tulit.
Certabant superi, quae rapto ad sidera sedes;
Et qui pro Christo membra dedere, ferunt.
Certabant, quae virtutum sociaret ad aras
Loysiden, victor et sibi sumpsit amor.
Certant nunc vates, quo nomine dicere possint
Loysiden, litem nullus adhuc dirimit.

D. ALOYSIUS STUDIOSAE JUVENTUTIS EXEMPLAR.

Qua fingam pueros forma, quave arte magistra
Componam mores, ingeniumque regam?
Sic secum Ogniadum soboles, dum fervida pubes
Limen habet, doctis erudienda modis.
Ecce illi ante oculos hominis non cognita imago:
Iesus erat; juvenem sustinet ille manu.
Fulgor in ore micat, splendore imitantia Solem
Lumina; habet junctam pectus utramque manum.
Ne doleas, inquit, sunt certa exempla juventae:
Quem vita referant, en tibi Loisides.

IOCUS IN PRAESEPIUM A TYRONIBUS SOC. JESU SURRENTI EXTRUCTUM.

Haec est scilicet optima, hospitique
Grata cura Deo parentibusque!
Cum sint cuncta parata, abest taberna.
Quid hoc esse putem? quid est, movetque?
Haec vos discitis? haec docet Magister?
Anne quod studio severiori,
Hic vos, o juvenes, nihil putatis
Dapes atque epulas, nimisque sicci,
Odistis pateras, cados, culullos,
Et quicquid tenet arca scriniumque;
Tales esse homines putatis omnes,
Cara vita quibus, diesque laeti?
Illos copia, mensa plena, vina
Delectant, quibus est opus reducant
Vires, quas labor abstulit diurnus.

Quae mens ergo fuit, boni Tyrones,
Nulla ut adsit hic advenis taberna?
Non hi frigiduli senes, puellae
Rigentes nive, feminaeque flectunt
Obductae macie, moleſtiisque?
Vobis dulcia multa gaudiorum
Praebent caelicolae, potaminique
Nectar ducere, quod ministrat ales.
Catus sidereae minister undae;
Illis castaneae nuces, omasa,
Pernae, vermiculi, turundae, et hillae;
Haec sunt gaudia magna rusticorum;
Haec horum capiunt capaciora
Exta; his deliciis beantur; ergo
Vestram hanc duritiem, et severitatem,
Laudem? hanc e superis venire credam?
Quare si pietas amorque tantus
Proximorum animis tuis juventa est,
Quantam Loyolides jubent, Deusque;
Addite hospitibus bonam tabernam,
In qua pendula et optime parata
Prosient crustula, caseus, turundae,
Pastilli, bubulae, suilla, pisces;
Nec non pocula, canthari, amphoraeque.
Haec cum viderit illa ventriosa
Turba ruricolarum, et advenarum,
Accurret numerosior, Deoque
Major copia munerum bonorum
Fluet; densaque grando basiorum.

IN ORTU REGII INFANTIS NEAPOLITANI

Cresce, pupule, cresce: si parentem
Heu durae nimis abstulere Parcae,
Non curae tibi sit modo et labori.
Non cares studio uspiam parentis.
Nam tu, si facies quid, osque nobis
Portendit puerile, ocellulusque,
Amissam penitus refers parentem.
Ergo basia mille, mille sumes
Amplexus teneros, merosque amores,
Quantos scilicet hic parens tulisset,
Quam omnes fervido amore deperibant;
Quippe mitis erat, benigna; coeli
Cultrix sedula: coniugi fidelis,
Tota pulchra: placensque vel severa.
His tu postea mutuas habebis
Gratias, referesque largus omnes
Per annos, memor optimae parentis;
Tantosque accipiemus usque amores,
Quantos Parthenopi parens dedisset:
Parens larga, benigna, fons amorum.

EDITO REGNI NEAPOLITANI HAEREDE, REGINA MATER OBIT.

I.

Progenies oritur, nostri spes maxima regni;
Deserit at regnum, morte ferente, parens.
Quid dicam? laetis celebrandus laudibus ortus
Francisci, an matris fata dolenda suae?

Vivere digna parens, vitali dignus et aura
Ille: aeque votum vivere utrumque fuit.
Elige Parthenope quem vis, natumve parentemve?
Alterutro fati lege carere opus est.
Tu litem Francisce secas; gaudemus utroque,
Si matrem referes vultu animoque tuam.

2.

Immiti quereris Christinam morte peremptam,
Dum spectas roseas Parthenopea genas?
Falleris: haud faciunt longam volventia vitam
Saecula: longaevus qui bene vivit, erit.
Si numeras Christinae annos, vim conspice mentis:
Debuit haec dices, facta senecta, mori.

3.

Indignus attactu primo peream illico mortis,
Si Regina auro, et tecta adamante cadit:
Sic ego lamentans, tum quidam: mitte timorem;
Fortior adversus funera stabis, ait.
Mors ictus; quae majus onus gravat, opprimit ictus;
Tu levis es; perstas; mole sua alta ruunt.

4.

Quid fles Parthenope? non est cur pectora tundas;
Qui percussit opem ferl Deus ipse tibi.
Si rapit immiti Christinam funere, natum
Donat quo requies sospite adempta redit.
Excitat horrendas occumbens illa procellas:
Hic tibi, quae fluctus comprimet, Arctos erit.

5.

Tolle aurum capiti; sceptrum quoque deripe dextrae,
Tu qui Christinam faxa referre doces.
Ista premunt: pressit sed magna illa omnia mente:
Non haec digna animo sunt monumenta suo.
Calce terat sceptrum, et pictas Christina coronas;
Et bene posteritas, quae fuit illa scies.

6.

Christinam et Reges condit commune sepulchrum;
At non sors eadem, dissimilisque decor.
Praeterit immotis oculis alia ossa viator,
Quae lapis inscriptus vix titulusque notat.
Christinae cineres non alta silentia condunt,
Quae non laurus iners ornat opisve brevis.
Donec erit virtus, donec pietasque fidesque
Ad tumulum sociae, quae lacrymantur, erunt.

7.

Dum videt immiti Reginam funere raptam,
Luget Parthenope signaque mortis habet.
Induit atratas exterrita foemina vestes;
Pulla virum obnubit fortia terga toga.
Gaudet inornatis innupta puella capillis;
Odit equm juvenis; miles et arma terit.
Scoena vacat, solitos lusus odere theatra:
Tesqua, forum, plateas, compita, luctus habet.
Quis dubitat quin illa omnes frueretur adepta,
Si nemo est qui non, illa abeunte, gemat?

Quae magis mihi taedio fuere.
Quod si quis mihi pertinaciore
Instat pectore pervicax, et urget,
Audeo insuper hoc tibi precari,
O Diva, ut digito premas ocellum,
Eruasque etiam, et juves misellum.
Id si tu mihi, Philumena, praestas,
Centum carmina deinde dedicabo.

IN AQUAEDUCTOS URBIS NEAPOLIS

Ingenium multis naturae accedere donis
Est opus, ut fieri commoda vita queat.
Talis Parthenopes, quae quas natura negarat
Undas, longiquis montibus arte trahit.
At tu tanta tuae cognatis munera terris
Da mentis, quantum fluminis inde capis.
Quod si consilii par illas copia pascet;
Tam florent, quam tu sic bene pota viges.

Formam quam febris abstulit, rogabo:
Haec jam callidior cavere novi,
Parcens ingenio, abstinens labore;
Membra quo licuit fovens sapore.
At nunc heu nimium periculosus
Instat mi scopulus vadumque saevum.
Illud scilicet omnium malorum
Pessimum est specimen; quod heu per auras
Ferant hinc Boreae, facesque perdant!
At nunc quid mage me premat, monebo;
Ut tu, Diva, tuo juves favore.
Namque ubi horrida bella, martialem
Iram, incendia, vulnera, et ruinas
Samnitum Livius refert, et omnes
Casus, quos rabies ciet Quiritum,
Longa est pagina, caeca, plena tricis,
Et nimis locus est tenebricosus,
Quem numquam capere, et tenere mente
Infelix potui. haud id imperito
Factum est ingenio; sed ira, et astus
Tantus Martius est cruorque, et horror,
Ut semper mihi corda subsilirent,
Hunc manu quoties locum tenerem.
At nunc, si bene mens mihi ominatur,
Illam nutu oculisque lector omnis
Paginam indicat; est enim venusta
Res quam ter juvat audiisse, et ultra.
At tu, Diva, tuo manum lacerto
Lectoris tacite, ut libet, potesque,
Torque, verte, move loco, rubeta
Si forte explicat illa curiosus.
Namque hoc nescio, quo mihi maligno
Nunc fato accidit, ut probent velintque
Semper hi magis illa litterati,

Et nunc si mihi vera mens Deusque
Portendunt, nova proemia, et favorem
Populusque parensque pollicentur;
Si quae carmina prima parturibo,
Mariam ingeminant merosque amores.
Haec tu more tuo probes necesse est;
Nam si foverit intimas medullas,
Et cor, quod grave nunc viget, Maria,
Tantos accipies deinde versus,
Quos per Pausylipi hortulos racemos
Colligunt, acinasque vinitores.

IN ORITU FERDINANDI BLOIS NOV. SOC. JESU

Vide, bellule Ferdinande, si te
Sinunt atria sanctiora Divum,
Adsis atque tuis require ocellis,
Si carus mihi, si meis, tuisque
Nostros flebilis omnibus, penates
Liquisti; omnibus atque acerba mors haec.
Magister, cui nil magis suave,
Nil magis, bene noveras, beatam,
Cura conficitur, tuumque nomen,
Insolabiliter gemens per umbras,
Aeterna vocat ejulatione:
Heu! Heu! floscule mi, tenelle pupe,
Alter Koščhiades mihi, suavis
Quantum Loisidesque Berchmiusque,
Ah! sic te, mea vita, corculumque,
Claudunt immeritum malae tenebrae?
Ah! Fernandule mi vale, tuoque
Tene pectore sedulum magistrum.

Quid nunc de sociisque fratribusque
Dicam, cui minus uritur medulla?
Nam te gratia tanta purpurabat,
Talis mentis erat nitor, decusque
Vultus, ingenii et comes venustas,
Ut jure omnibus intimis medullis
Stares conditus; aequus ergo vultum
Quis ferret procul, inulum, pudicum
Recte compositum, nihil molestum,
Nulli non facilem, probum benignum?
Nunquam ergo ingeniique nominisque
Obliviscimur, ore pectore haeres
Aeternum comitum sodaliumque;
Donec sors iterum, bonumque numen
Isthic te sociare dat fruique.

IN D. BARBATUM

Hic, ubi sidereis adolescunt ignibus arae,
Infernis cecidit victima sacra deis.
Hic, ubi supplicibus pulsantur sidera votis,
Moverat infandas impia Saga preces.
Quae sacris fulgent simulacris compita, quondam
Unus erat Ditis ludus, et una domus.
Prisca fides redit, et Barbato praesule, facta est
Coelica nunc sedes, quae prius Orcus erat.

CUM RETHORICIS AD QUOTIDIANAS EXERCITATIONES INCOMMODUS LUDUS ATTRIBUTUS ESSET.

Quod vos tecta tenent tenebricosa,
Et plenus locus est mali vaporis,
Vestras haud citharas juvare Phoebum

Creditis pueri, atque hebere dextram ;
Quod celsum Aoniae tenere montem ,
Quem sol perpetuus fovent , et aurae ,
Dicuntur, requiemque amare Musae.
Verùm hinc haud aberit parens amorum ,
Parens perpetuae beatitatis.
Virgo , Lojolidum vetus patrona ;
Quam non regifico decora cultu
Tecta , nec Zephiris beata tempe
Delectant ; sed amat breves recessus ;
Si sit simplicitas comes , decusque
Cordis , quod malus haud peredit ardor.
Atqui illi numeros , bonosque versus
Dedit Sydereus vigor , Deusque
Auctor omnigenae suavitatis ;
Ut virgunçula delicata posset
Magnos Iessiadis sequi volatus ,
Atque aures recreare cantione ,
Qualem Zacharidum audiere lecta ,
Et nunc auribus influit piorum.
Ergo si ingenio illius caloris
Pars est , et reget hos Maria lusus ,
Tantum tenuia carmina anteibunt
Vestra haec quot fuerunt , eruntque vates ,
Quantum dulcior est Maria Musis.

IN D. ALOYSIUM

I.

Omni Pictori Lodoicum ita pingere mos est ,
Ut stent sub pedibus regia sceptra suis.
At si ductorem fingunt , bellisque potentem
Regem , dant forti sceptra tenere manu.

Loisides hominum insidias, Orcumque subegit,
Illo quis ductor dignior esse potest ?

2.

Dum sua Loisides claudebat lumina morti,
Insolita visa est luce nitere gena.
Et cecinit, qualis Mœandri cycnus ad undas ;
Gaudet et, ut capta dux bonus urbe solet.
Quid mirum ? si cura fuit sua vita laborque,
Non mors, sed gratum vivere funus erat.

3.

Dum Lodoix animam efflabat, sua lumina claudens,
Ut feriant scutica tabida membra rogat.
At quo flagra loco figis, quam verbera partem :
Caedent ? Ossa ictus an cutis hos capiet ?
Si hanc spectes, vix membra tegit atque ossibus haeret:
Sin ossa, omnia sunt livida verberibus.

AD EUMDEM

Excusatio.

Quid capis Lodoix, quid hic agellus
Jam pridem tuus, afferet dabitque,
Postquam tot lepidi, boni, elegantes
Cultores Heliconii recessus
Jam dudum tibi millies et ultra
Plauserunt numeris bonoque cultu ?
Quid feres ? puto quod per arva, et hortos

Scrutanti folia, arborumque ramos
Offert vinea villico, labente
Autumno, modo quam laboriosi
Manu diripuere vinitores.
Rara scilicet, arida, obsoleta,
Dura carmina, quae nuce, atque fico
Mutari libet, atque anus recuset,
Quae sub fornice proximo minutal
Praebet cum cicere, et faba, et lupinis.
Nam quicquid parere, et referre nostrae
Hic mentes potuere nunc, et olim,
Lato Vesvius ore devoravit.
Hunc, cum perderet impotente flamma
Agros, et segetes, et arva, et urbes,
Novus dicere jussit ardor: ergo
Si quis succus in ore, quicquid imo
Florum pectore, fluxit, aruitque.
Hae molles acinae, et Botri supersunt.
Quos tu quod bonus es, cape et repone.
Nam, si vera meus refert libellus,
Saepe dulcior, optimusque Botrus
Forte quem legit ultimum colonus,
Quod parens bona vitis, orba natis,
Unum diligit, educatque, toto
Pascens pectore, longa et hora coxit.

AD IUVENTUTEM SALERNITANAM

O pubes mihi millies petita!
O felix veteris genus Picenti!
Tu non ultima cura, maximusque
Amor Loyolidum, licet trecenti

Et mille innocui tenellulique
Adsint ingenio optimi iuvenci ,
Sen qua Pausilypi vigent beati
Colles , seu pecorosa qua Salenti
Florent agricolis amica rura ,
Et per Milesiae iuga , et rigentes
Vestinos. Mihi tu tamen iuventus
Antistans numero puellulorum ,
Quot sunt qui aonidum sequuntur artes.
Nam tibi , ut mihi nunciant magistri,
Et praesul , procereſque , praesidesque ,
Mens est optima , spiritusque , qualis
Olim dicitur inclytis fuisse
Avis , queis studia optima Atticorum,
Atque artes placuere perditae aevo :
Quas aut Ippocrates vetus magister
Grajorum extulit , aut dedit Galenus ,
Aegrae prospiciens uterque vitae.
Ergo , et ingenio satis , superque
Vis est , atque animo, invias ut arces
Parnassi superes pede , et latentes
Pervadas tenebras scientiarum.
At gratum tibi per iuga , atque saltus
Fugaces capreas sequi , et volucres :
Aut remis agitans brevem phaselum ,
Hamum tendere piscibus per undas.
Non tutum pueris mare ; huc ab alto
Advolvit Zephirus , Notusque fluctus ;
Et apros alit , asperosque echinos
Collis , qua cavat unda saxa manans.
Hic amor tibi si sit et voluptas ,
Qua possis melius frui , accipe artem:
Mecum qua domus imminet Minervae,
Desuetos ubi Phoebus aptat arcus ;

Otio frueris suaviore :
Doctarum sitiens aquas sororum
Potabis, faciliqne falce flores
Demetes varios, tuo ut coronam
Innectas capiti ; dein avenas,
Aut si te mage tibiae iuvabunt,
Inflabis, quibus excitata fundunt
Certa pectora verba iuncta lege.
Haec cum feceris optima, et polita,
Ad Hirni placide fluentis undam,
Aut qua se Sale fluctibus marinis
Iungit, qua licet arte concinemus.
Primum Diviparae, optimoque nato,
Per quos ingenium viget inventae ;
Dein Divo, cui duplicis bifronti
Arae cornua dedicat Salernum :
Addemus proceres, patres, supremos
Praesides, quibus hoc bonum Salernum
Acceptum referet perenne in aevum.

AD EAMDEM

Negotia cum studiis conjungenda.

Quod te vinea fertilisque campus
Delectat, segetesque, sureulosque
Curas adsiduo labore, civis,
Quo rerum tibi pleniore cornu
Manet copia, perbene, ac beate est.
Et portus etiam, advenasque nautas,
Et quot in trivio, foroque sistunt
Cauponesque, popaeque, sciscitaris.

Sed si mens iaceat tenebricosa,
Et situ ingenium, otioque squalet,
Intutae tibi res inutilesque:
Seu campus tulit, hospitesque naves,
Seu caupo, et pecus, et parentis arca.
Has astu rapit institor dolosus;
Has vitae illecebrae, ac calens libido.
Ergo ut sint tibi propriae, et perennes,
Quas sors donat opes, Salernitane,
Esto Mercurio utrinsque eidem
Copiae arbitrium, ingeni, lucrique.
Aptis ingenium statim memento
Artibus colere, et polire mentem;
Quo quondam melius colas agellos,
Aut serves bene, quae ferant agelli.

IN OBITU ALOYSII TABURET SOC. IESU. SCHOL.

Umbra sub viridi herbido in recessu,
Quem circum varii beata flores
Sternunt arva, rosisque liliisque
Mixtae mirtus amaracusque, vidi
Latus ponere molliter iuvencum,
Cum me propulit hinc amor, dolorque
Ut quacumque liceret invenire,
Quererem mihi prae meis ocellis
Dilectum puerum; quem acerba dudum
Heu mors eripuit mihi, meisque;
Et contingere possem, et osculari;
Unus qui mihi mos, amorque semper.
In vultu color est, ut ante flavus;
Lenis risus in ore; nulla frontem

Ruga contrahit, et genas; ocelli
Fulgent luciduli; salit pupilla;
Totus candidus, integer, quietus.
Exili tremulam ore pulsat auram,
Dum, quae nescio, mollibus labellis
Mittit carmina cantiunculamque;
Qualis vinitor assolet vagusque
Hospes, cum reficit quiete membra,
Molli in gramine, sassuloque sidens:
Ut vidi obstupui, haud bene ora noram;
Mox ut mens rediit, genasque, ocellosque
Agnovi penitus, calore totus
Arsi; prosiliens utrasque tendo
Ulnas protinus; et nihil severum,
Nil aversum, oculis, genisque pronum,
Amplector, foveo, osculisque mille
Os, frontem, omnia suavior beatus.
Te ne Loisides, mihi heu feroces
Parcae, commodaque abstulere nostra?
Tu ne semper abes? tuo caremus
Aeternum alloquio? at quid heu! magistrum
Fefellisti? avidi ne te lacerti
Parcarum rapuere clam, an voluntas
Haec fuit tua? te alloqui, videre
Extremum haud licuit: miser quo abisti?
Qua manes? locus hic quis est? quid instat?
Responsurus erat; sed ecce lapsus
Unus Aligerum, manu prehendit,
Volentemque trahit; satis dedisti
Poenarum inquit, et haec ferenda tantum:
Haec vobis data poena; dignus astris
Iam veni; socii manent parensque;
Omnes cernere amant: abit per auras.
Quid tum? terque quaterque, pupule inquam

Beatus, cui procul amoenus hortus!
Ecquod praemium erit, quiesque tandem?

AD JULUM.

IOCUS

Quod villam tibi dii boni dederunt,
Qua se fumeus erigit vesevus,
Gaudes, Iule, solesque gloriari.
Iure; nam tibi commode et beate est.
Nam primum haud opus est foco et camino,
Quo cibos coquere et parare fas est.
Nam monti obijcis omnia aestuanti:
Hic olla, et cacabum, et veru, et patella:
Et coenas bene, et haud times pericla,
Quae sunt plurima cum foco et camino.
Dein te Vesvius ipse concoquentem
Blande recreat; ille bellus ille
Tibi porticus, et forum, et Theatrum:
Audis blandiloquos modos levesque
Voces, et sonitum, modo hunc modo illum;
Nunc acrem tenuemque, nunc sonorum,
Plenumque, atque gravem; haud carebis ictu
Summo Tarquinii, aut Lablasii imo.
Gratulor tibi, jule, quod benigni
Has divi dederunt amoenitates;
Verum his mi misero haud frui licebit:
Silent omnia, stat quieta tellus:
Et soles nitidi, et dies Serani;
Hic mi deperit otiosa vita.
O bonae Stabiae, et loci beati,
Quos suo fovet igne bellus ille,
Ille mons teres, aequeque gratiarum!

Sit tecum tuus ille semper hortus;
Sint suburbia, Inle mi, beata.
At a te superi procul benigni,
Monse me pessime, degere usque donent.

POSTREMA ANGELI ANTONII SCOTTI VERSA.

(*A chi lascio la gioventù*)

Si te tantus habet dolor, laborque
Antoni; levis est, ego edocebo,
Cura qua tibi consulas, simulque
Pubi, cui bene sedulus laboras.
Multis quippe opibus tibi aucta vita,
Boni quae tibi contulere Divi;
Quae multa tibi tu arte comparasti:
Haec tecum rapies, quibus fruaris
Aeternum, atque alia insuper benigni
Addent proemia coelites laborum.
Unum est quo liceat tibi carere;
At nobis mage commodum potiri;
Hoc illud studium est, amor, voluntas,
Quo complexus es excolens juventam:
Hoc relinquere te decet, juvatque,
Haec illos capere et fovere praestat,
Queis mens est bona, visque litterarum,
Magna et copia; non pares at ignes,
Amorque, studiumque: fac tuas hi
Haeredes capiant opes amoris,
Fortis, solliciti bonam in juventam;
Sic cura, et studio haud caret juventa;
Nec tu deseris, hinc ademptus illam:
Absens excolis usque et usque custos.

DE RAPHAELE ZAMBELLI IMMATURA MORTE E VIVIS SUBLATO.

Ergone auspicium mihi laborum,
Cum Hirpinos adeo, dolor, metusque?
Sic olim ingemuit camoena nostra,
Quod raptum ad choreas beatiorum
Non vidi tenerum meum sodalem.
At nunc par mihi luctus est, laborque,
Quod frustra huc referens pedes, requiro
Dilectum mihi prae omnibus iuvencum.
Heu heu, mi Raphael, ubi es? quo abisti?
Qua te quaerere possum? ubi invenire?
An si te careo, beata vita?
Quidquam amabile, quidquam et expetendum est?
Ergo te, puer, unum acerba fata
Invidere mihi? tibi orcus uni
Saevus? cum innumeri hic ubique adessent
Tenelli pueri, quibus magister
Effinxi ingenium, tuam severae
Parcae diripuere falce vitam.
Quippe tu ingenio omnibus praeibas;
Tuum candidulum os, ocellulusque
Omnibus decus abstulere bellis.
Ergo e more suo tibi haud pepercit,
Audax perdere pulchriora, fatum.
Hoc solatiolum esse mi putabam,
Si novos mihi quaererem penates,
Queis possem ingenium expolire pubis;
At quid profuit hoc? Sequax me ubique
Ah tu me levis umbra, pupule, urges.
Te coram video: mihi usque prostas;
Te videre, loqui, me adire cerno,
Quo me quumque fero; vocas, lacessis

Adstans, ut te iterum oscolis, manúque
Amplexus foveam, suavior; sed
Quid miser capiam? heu recede: parce,
Parce dulcidulo tuo magistro.
At vos, o nova cura populorum
Sacra turba, meo addite hoc dolori
Solamen; penitus meae quiescunt
Curaeque et gemitus, suam ut pudicis
Moribus similes, bonam, nitentem
Formam redditis, integrosque vultus,
Ut cum vos video, adloquor, meum mi
Adesse adspiciam, adloqui, et jocari
Zambelli; ut veteres novare lusus
Queam, et reddere mutuos amores.

IN OBITU CL. VIRI JOANNIS MARCHIONIS D' ANDREA EX CARMINE ITALICO CL. NICOLAI NICOLINI.

(Quest' uom, che imberbe ancor l'illustre ingegno etc.

Si a teneris vir hic instruxit sublime severa
Pallade, et omnigenis artibus ingenium:
Non fuit ut vana splenderent otia luce;
Sed quo civili vis foret apta operi.
Quin quas mens hominum, male quae per inania ferta
Divitias et opes non sati anda petit:
Sancto sprevit amore aequi; quid amica pararet
Fortuna, aut tristis tolleret, haud metuens.
Communem censum curans, operatus ad aram
Astreae, sacras abstulit inde faces.
Devotus Fidei et Solio, cum jura maritus
Connubii, sobolis tum genitor coluit.
Quid mirum si difficili quae tempore gaza est
Credita ei, studiis est reparata suis?
Quippe suo crevit res custodita labore;
Indigus ipse, uno dives honore, obiit.

INDEX

A' nobili e dotti associati . . . . . pag. 5

LIBER I.

Auctor ad suum librum, et discipulos . . . . . » 7
Virum inter causas efficientes poeseos a quamplurimis relatum. *Adolescens sibi de hoc gratatur* . . . . . » 8
In sculpitorem. *Cum academia haberetur in aedibus, quarum statuae in D. Sebastiani positae sunt* . . . . . » 10
Ad beatam Virginem. *Scholam illi dedicat auctor Salerni docens* . » 11
Lucus . . . . . » 12
Lyceum, et carcer . . . . . » ib.
Vitae integritas disciplina custodienda . . . . . » ib.
Mandinae Salernitanae . . . . . » 14
De eloquentiae usu . . . . . » ib.
In obitu Francisci Manzi in Salernitano Ephebeo al. . . . . » ib.
Ad S. Simeonem . . . . . » 16
In D. Hieronymum . . . . . » 17
Auctor ad beatam Virginem et de suo nomine . . . . . » ib.
In hortulum ad ludum auctoris consitum . . . . . » 18

LIBER II.

Ad clarissimum equitem Rodericum Nolli . . . . . » 20
Puer cum Rhetoricae daturus esset operam. *Ad B. Virginem.* » 24
Votum ad Beatam Mariam Virginem dum duo humaniorum litterarum classes in unam rhetoricam coalescerent . . . . . » 25

CONSIGLIO GENERALE
DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE

Vista la domanda del Tipografo Raffaele Tramater con che ha chiesto porre a stampa l'opera del Sig. Cristoforo Coppola intitolata *Carmina*.

Visto il parere del Regio Revisore Sig. D. Raffaele di Gennaro:

Si permette che la suddetta opera s'incominci a stampare; però non si pubblichi senza un secondo permesso che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser l'impressione uniforme all' originale approvato.

Napoli 28 Maggio 1851.

Il Presidente Interino
Francesco Saverio Apuzzo
Il Segretario Interino
Giuseppe Pietrocola

CARMINA

CHRISTOPHORI COPPOLA

LYRICA

NEAPOLI
TYPIS TRAMATER
MDCCCLI.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

LYRICA

LIBER I.

ODE I.

Formandis puerum moribus unice
Aptus, Lojolidum dum sequerer novo
Miles castra modo non piger, ingredi
Argento, atque ebore, et marmore nobilem
Cogor rite domum; vatum ubi laureis
Ornati varia stant serie ordines.
At quis me recipit, quis chorus occupat?
Quos vates sociem? sunt quibus ingeni
Flumen grande tumet; sunt tenuem manu
Pulsantes cytharam; pectine nobiles
Hi Graio; numeris hi latialibus
Res aequare graves, factaque grandia
Patrum ornare alacres; hi numerosius
Dicunt ore novo: si popularibus
Quis sit qui studiis, et juvenilibus
Blanditur facibus, grata licentiae
Dictans, illecebris non bene deditus,
Absit; non socios hos patitur levi
Vates ore; poli at munere nobilis;
Quem non divitiae, mensaque poculis
Donatura animos, telaque commodis,
Non regum exacuunt facta potentium;
Acta aut res studiis publica civicis.
Si quid forte ciet quod ferat obvium

Ultro certa dies; si dolet asperis
Angustata animis vita laboribus;
Si fulget titulis aucta recentibus
Virtus, si tenerum mors subito irruens
Allapsu socium surripit improba,
Haec quovis liceat carmine dividit;
Dum sedes superum claraque sidera,
Curae mente tenet libera inutilis;
Aut pronus vacuo pectore colligit
Quae sacris studiis aequus, et integrae
Vitae sponte Deus munera porrigit.
Ergo quos facili pectine juverit
Omnes per populos regnaque dissita
Flectendis animis commoda dicere,
Hi vatem capient, hos sequor accinens.
Quod si non oculo praeterit invido
Haec solers opibus palladiis potens
Proles Italiae, munere amabili
Coeli non careo; quippe Quiritium
Vindex eloquii dicor, et imperi
Custos haud timidus Romulei; decus
Dum vate eloquii me viret integrum,
Per quod Roma nova sorte potentior
Dictat, quae vetitis depereuntia
Curis corda novant; et melioribus
Informata nitent saecula moribus.

E MONTIS VESUVII INCENDIIS CLADES

anno 1834.

ODE II.

Per nostra stulti crimina fulmina
Numquam Tonantem ponere cogimus;
Avisque formidata castra
Instruere, atque iterare saeva
Urbes ruina. quid pluvio juvat
Mersisse ponto regna, quid arduas
Arces, et excelsas per orbem
Undivagas fluitasse turres?
Incontinentis mox genus ignea
Sentit Gomorrae fulmina: subruit
Licentiosas Parthus urbes
Isacidum; neque Roma clades
Vitat Getarum praeda rapacium;
Et nos hiantem saepe voragine
Terram profunda; et dissolutas
Horruimus subita ruina
Aedes, et arces; tu tamen impia
Immugienti proxima Vesvio
Sectaris ultro facta, et audes
Mente graves superos proterva
Tentare Siren? quid valeant pices,
Insanientis quid tibi Vesvii
Minantur irae, quidve turbo
Pulvereus, docuere quondam
Conversa in altum pulverem ab Hercule
Denominati moenia littoris.
Stratas quid aedes, et perustos
Restituis generosus agros

Fernande? foedae flamma libidinis
Tollenda primum; fraenaque moribus
Licentiosis, liberisque
Lex animis statuenda, et asper
Reddendus urbi cultus avum, et gravi
Mollita blandis pectora moribus
Formanda ritu; tunc quietus
Vesvius, et tremefacta circum
Querceta stabunt: his trepidam Deo
Monente dictis Parthenopen: tuis
Si parcit oris, atque amatas
Non subigit Stabias, minacem
Ducens in agros Euboicos manum
Bellator, urbes non tibi splendeant
Longos per annos, nec quieta
Tecta patet: liquefactus uvet
Haec ter Vesaevus, terque ruentia,
Si tu reponis, fulmina subruent
Erupta, et uvescat penates,
Me domino, atque cinis flammas.

AD ITALIAM, UT BONARUM ARTIUM STUDIA IMPENSIUS CELEBRET.

ODE III.

Surge; desuetos remova labores,
Quo patrum instaures operosa laudes:
Surge, quid tantum juvat otiari,
Itala proles?

Non vides quanto careant honore
Artibus natae, numerisque mentes?
Quae laborantes animos bonorum
Taedia rodunt?
Grata non omni ingenio popina:
Non nemus quosvis juvat atque saltus:
Apta nec bello manus omnis: arma
Pectora terrent.
Unda quae sacro fluit Hyppocrene,
Saxa qui Pindi variat lapillus
Gratior, coeli quibus una tangunt
Gaudia pectus.
Ergo te spectat, tua dona quaerit
Undique excitus, sibi quem camoena
Vindicat, si quid facili minerva
Fortius audes.
Namque quod mulcet leve carmen aures,
Quae regit saevos animos Camoena,
Si tibi languet manus, et teruntur
Pulvere chordae?
Multa qua plena fluit Ister unda;
Quaque Ripbei glacie perenni
Albicant, ausi studio recenti
Dicere vates.
Ausa quin seri soboles Britanni
Indicem Aeneae cytharam aemulari;
Nablia et Flacci numerosa Galli
Dextera tentat.
Nausea pallet studiosus, ora
Admovens, qualis stabiana spernit,
Coecubo adsuetus, cyathisque Chiis
Pocula potor.

Nec juvat stricto gladio minari ;
Ponere aut victis nova jura : vitat
Scripta Klopstocbi Bayrique libros
Cultior auris.
At tuam tu non cythararn requiri
Ausonum sentis genus? o pianda
Hostiis centum , et peritura nullo
Crimina saeclo !
Tu leves gaudes latus inter herbas ,
Arva qua leni rigat unda rivo ,
Ponere , et molli recreare ludo ,
Itale, pectus ?
Otium et somnos faciles , dapesque
Invidet coelum tibi , si calentes
Spiritus Phoebus dedit , et canorae
Munera linguae.
Naeniam infelix renovare , et acres
Cogeris cantus subito , ut rapaces
Senties dextras iterare saevis
Coedibus urbes.
Tunc tibi carmen redit , et Camoena ,
Qua tuas Dantis numero , aut Petrarcae,
Atra , mutato peragas amictu ,
Flebile funus.

AD REGINAM CHRISTINAM CUM REGE FERDINANDO NUPSIT.

ODE IV.

Vides ut undas lentus alveo
Sebetus urget : saxosque Vesvius
Ambusta submittit, novoque
Aeriae tonuere turres
Regina, ritu ; quo popularibus
Vicina fervent littora molibus ;
Proditque Siren, et jocosa
Voce novam dominam salutat ?
Inhospitalis quid tibi debita
Pararet Alpes, quaerere desine ;
Durosque Taurinos, et hirtos
Cenomanos, ligurumque mixtum
Iam mitte vulgus : en tibi gratior
Fortuna ridet : latius imperes,
Qua parte Thyrrenum remugit ;
Qua Pelagi patet Adriani
Sinus bicornis : hinc tibi Daunii
Tellus Phalanti : hinc Boreae domus
Objecta Marsorum : hic piceuti
Littora, vitiferique felix
Campus Venafri servit, ubi cadum
Falerna replent proxima Thasiis ;
Mirtusque pancheis aristis
Certat, Achemenioque costo.
Quin qua Pelori tingitur aequore
Rupes reducto, sideraque arcibus
Affectat ancisis Pachynus,
Trinacriae tua densa pubes

Edicta sentit : mitior obstrepit
Freto charibdis , Scyllaque vortices
Cogit dolosos ; regiumque
Imperium gravis Aethna sentit.
Ergo obligato munere sospitem
Christina nunquam destituas Deum ;
Neglectus hic aedes rubente
Saepe manu , solidasque regum
Concussit arces : non stetit arduis
Medus columnis ; et Babilon ruit ,
Dum cudere humanos in usus
Aurum amat , et decora alta templi.
Hunc nec trecenis , quot tibi subdidit
Fortuna , places urbibus ; aureos
Nec si capillos , et nitentes
Ungue genas generosa foedas.
Qualis minorem se tibi nunc gerit
Devota Siren , collaque libera
Premenda subdit , et benigna
Quidquid opum parit arte , praebet ;
Sic tu tonanti credula commoda
Aures docenti ; rectius occupes
Sic nomen Augustae ; tibique
Imperii decus arrogabis.
Hac arte Amedeus , et generis tui
Innixus auctor , regna potentius
Subjecit , aut armis quiritum ,
Aut animis studiisque Poeni.
Hac luctuosi non mala saeculi
Dejecit acrem colluvies avum ;
Hunc pone Fernandus residens
In veterem speciem recudit

Aevo labantem Parthenopem : genas
Mores refingunt sordibus obsitas ;
Reditque , te praebente tutum
Hospitium , renovata virtus.

AD CRESCENTIUM DIANA MEDICUM ILLUSTRISSIMUM
IN OBITU SPONSAE THERESIAE PIGNATA

ODE V.

Annos ire volubiles ,
Mutarique dies cernis , et orbita
Certa currere sidera
Crescenti ? immodico qui modo frigore
Adstrictus riguit , novo
Amotis nebulis , igne remittitur ;
Mox herbae redeunt solo ,
Quod strinxit rabidae flamma Caniculae.
Sic te non dolor occupet
Aegrum perpetuus ; si bene conficit
Charae conjugis atterens
Nunc desiderium , te facilem Dei
Credas arbitrio ; nihil
Nos sperare vetat ; si volet induunt
Artus atque anima calent
Cantes , atque hominum consociant choros
Vulgus mobile stipites :
Fiunt marmor aquae : cogitur ardua
Tellus , et cumulo tumet ;
Mox depressa domos delegit abditas.
O si demereas prece
Demissa , et docili pectore Numina ;

Lugubres querimonias
Mittens, et trepidae mentis inutilem
Curam, et sollicitudines,
Insperata aderunt gaudia, quae levent
Curas; debitaque otia
Proli restituent! scimus ut invidi
Orci nequitiam, et dolos
Expertus doluit, non meritus malo
Hossites animo, aut gravi
Iram mente poli: subruit aedium
Stantes impetus impotens
Arces, et lapidum cum trabibus gravi
Casu deciduae, premunt
Bis septem pueros: mox manus hostica
Vastat diripiens agros,
Avertens nitidos cum gregibus boves,
Incenditque ruens polo
Flaventes segetes ignis et arbores.
Ergo sepositus domo
Tergebat sanie crura fluentia,
Praedives modo copia,
Felix, cui dubiae dum fugiunt opes,
Mens cum consilio et fide
Usque immota stetit: qui dedit otium
Ipse, inquit, Deus obruit
Nunc poena meritum; si libet indigo
Nullus lapsa reponere,
Atque augere labor: vertere Numine
Uno cuncta potens, rapit
Quot sunt, et tenebris obstruit aera
Quassans: mox fugientia
Subridens revocat, digerit et manu
Per sudum, ut modo, sidera.
Quod si pauperies non revocabili

Fato me premet obruens ;
Non impune feret dira necessitas ;
Ipsum mente sequor pia ,
Ipsi corda paro : si tetigit , levat ,
Me finxisse levem memor
Plumam , quam tenuis dejiciat Notus .
Ridebis bene conjuge
Mox Diana nova : scilicet infima
Summis Numen amabile
Mutat : Iob nituit , quod bene credidit.

STUDIOSAE JUVENTUTI AD PUBLICAS EXERCITATIONES HORTATIO

ODE VI.

Princeps juventus inter amabiles
Aegles alumnos ; jam tibi necitur
Corona ; jam fornace ahena ,
Quo niteas , liquat officina
Aurum recudens. Proripe te aequore
Periculoso , nec stomachum gravet
Ferratus humor , sulphuratis
Nec stimules animo latentes
Aquis favillas. Cernis ut occupat
Aram Tribunal ? jam subit arbiter
Severus , et lances et aequa
Pondera , difficilesque libras
Parantur ; illic quidquid opum tibi
Amica Pallas credidit , illico
Fidus resignes , et severum
Arbitrium subeas virorum

Dijudicantum. Tu trepidus times,
Diemque vitas, ceu solet invias
Sylvas viator, qua rudentes
Ore gravi stabulant Leones;
Aut ut frementem navita Bosphorum,
Urgente Cauro; quid juvat abditos,
Apollinares quas per arces
Iam studii per amara gaudes
Legisse flores, pectore condere
Mala otioso? Sordet inertia
Celata virtus, nec nitorem
Grata diu retinet Camaena,
Si non cietur; ceu vitium capit
Lacus profundo qui jacet alveo
Limosus humor, et rubigo
Atterit exitiosa gemmas,
Arca repostas; estur et abdita
Tholo supellex fixa teredine,
Sic quicquid artes et benignae
Pierides dederunt, morosa
Quies peredit et situs. Otia
Quid te coercent improba? num graves
Vultus reformidas virorum, et
Difficiles oculos, modumque
Fortunae, et aegrae mentis adhuc parum
Firmos volatus? aut tibi faverit
Apollo, certantemque mentem
Expedies animosa nodis,
Queis te Minervae cingere callidi
Tentant alumni; crinibus accipis
Laurum decoris, et paternos
Ex tenui haud humilis labore

Auges honores; aut adhuc ingeni
Non firma virtus, pœnitet olim
Fastidiosi, perque rupes
Aonias levior vagaris.

IN SS. NOMEN JESU

Sæviente Cholera morbo.

ODE VII.

Debitum fatis nimis heu! fatigant
Hinc et hinc orbem gemitus pavorque;
Dum furit tabes, populosque late
Demetit ore.
Multa Germanus studiosus herbæ
Multa per succos Batavus laborat:
Nec moram Gallus venienti et Hebri
Accola ponit.
Illa gliscenti similis leoni,
Italas lymphata ruit per urbes;
Jamque mactantem timuere Thusci,
Tectaque Martis.
Et timet Syren, sociæque terræ,
Ne graves olim experiantur ungues:
Iure; nam nullo retinenda vinclo,
Transilit auras.
Si quid Ascræi valuere lusus,
Et Chelis, Syren, mea grata, carmen
Concinam, per quod minus obstinato
Igne calescas.

Non enim lenes remorantur undae,
Quas tibi Bajae, Stabiaeque praebent:
Non mari acclinis prochyte, nec alta
Utilis Aegle.
Spernit objectas furiata ripas;
Ardua ad rupes volat, et per auras
Fertur immanis, mediosque gaudet
Vincere montes.
Una fatalem cohibere flammam
Impotens virtus valet: unus atris
Manibus custos datus, atque Olimpo,
Terret, Iesus.
Hoc tibi limen, pariesque nomen
Servet inscriptum: puer hoc pavensque
Perlegat conjux, veniensque vitat
Tecta venenum.
Friget insanus furor, atque rixae,
Quas alunt mentis tumor, et cupido;
Pace Letales medicata curas
Pectora ponunt.
Audiat Syren opus atque tanti
Nominis vires; pigeatque paulum,
Si pios contra numeros morosas
Obstruit aures.
Namque quid majus latices medendum
Elaboravere, bonaeque curae?
Petrus hoc aegro potuit, vocato,
Reddere membra.
Ille, ceu duro cohibente nodo
Vinctus, aut saxis subito caducis
Saucius stabat, resupinus alto in
Pulvere truncus.

Abfuit vultu color, et rigentes
Non manus solvens vigor explicavit.
Donec arentes tetigit benigna
Dextra lacertos.
Surge nam dixit juveni reganti,
Surge: non auro mihi, nec superbis
Sacculus gemmis gravis; una merces
Libera egeno.
Credulas Iesu benefidus aures
Praebui, et Iesu didici magistro,
Flectere elapsa; et reparare sola
Voce salutem.
I puer sospes, neque te tenebit
Vincicns ultra rigor: explicatis
Utitor membris, novus atque terram
Tunde juventa.
Non tibi per me rediere vires.
Talis haud virtus homini: negata
Multa dat terris facilis, datisque
Gaudet Iesus.
Ille quem morti modo heu nefas heu!
Gente cum nostra dedit immerentem
Barbarus; sed tu memor hunc, recepto
Corpore, plaude.
Saeviat nondum satiata longis
Caedibus tabes: segetes laborent:
Palleant plantae, maciesque tectus
Horreat aer:
Me premant circum cumuli cadentum
Indigum: Iesum haud timidus vocabo;
Meque nec serpens sanies, nec atra
Funera laedent.

AD AMICUM

De Salerno, cum illic auctor Rhetoricam doceret.

ODE VIII.

Non me florida, Masenle,
Tangunt Pausylipi saxa, nec herbidi
Campi, quos alit alveo
Sebetus placido leniter alluens:
Retro vertice vesvius
Cedit flammivomo; nec lepidae placent
Sirenum choreae modo,
Gratae, dum gravibus facta laboribus,
Curvo littore obambulans
Solvo cum socio taedia pectoris.
Me Lirnus capit, uberes
Per glebas trepidans, et mare proximum,
Parvis Lintribus hospitum;
Et vicinus ager, quo tepidae rosas
Aurae perpetuas alunt;
Et mixtae corylis mollibus arbuti;
Et quae per segetes leves
Ludunt cum capreis, et fulicis aves.
Qualis quae viget ignea
Qua syrtes resonant, arbor in Africa,
Si quis pectore condidit,
Qui densis frutices sub foliis nitent,
Longe detinet a domo
Oblitum tenerae conjugis, et laris:
Sic me cepit amabilis
Picenti hospitibus commoda civitas,

Quam pax, et charites solent,
Et certo pietas roborat ordine.
Claris orta parentibus
Pubes, queis Arabas pellere praeliis
Et vis atque animus fuit,
Me circum bibulis auribus emicat,
Quo limphas Heliconias
Ducat, queis vigeant pectora, in otiis
Longis languida, dum sopor
Obstrictam atque leves illecebrae tenent.
O qui nostra diu regis
Forti presidio moenia, nobilis
Qua res cunque sacrae vigent
Dum natum ore canis fatidico Deum,
Tu me, Dive, tuo juva
Cum pube, et sociis praesidio: bono
Si me foveris omine,
Nec me Parthenopé, nec Clanius movet.

DUM STUDIA REGNORUM PRAESIDIUM ESSE OSTENDITUR, IUVENTUTI AD EA STIMULI SUBICIUNTUR.

ODE IX.

Non sola belli fulmina dirunt
Urbes; et acri servitio premit
Gentes subactas, qui fugaces
Urget equos, equitesque vultu

Formidolosus ; moeniaque aggere
Circumdat alto ; turribus et faces
Infert ; et instanti ruina
Tecta solo segetesque sternit.
Est qui doloso consilio domat
Gentes, et acri vim sapientiae
Affert, et obstantes catervas
Mente fugat, subigitque lingua.
Cum tu procaci quicquid ab alpibus
Istroque lingua personat, assecla
Insanientis mentis, imo
Pectore condideris, manuque
Utraque plaudis, dignaque lauros
Auditor excors Pieria putas,
Utcumque submittunt, recenti
Arte rudes fabricata Mopsi,
Non ante nostris carmina patribus
Audita, duris brachia vinculis
Captiva permittis ; ivgoque
Ultro animum domitus coerces.
Atqui pudendo servitio graves
Non te favillis sulphureis globi,
Non glandis aeratae fragores
Expediunt, gladiique acuti ;
Queis saepe diris nocte latronibus
Defendis aedes, aut rabidis pecus
Lupis, et extentos racemos
Agricolae manibus vagantis.
Tali subactum milite praelium
Unum resolvet, si tibi plurimos,
Quales Camoenarum ministrat
Alta domus, aditusque Phoebi,

Opes parabis : sentiat aequa
Superbus Istri, quique Tagum bibunt;
Rebusque mutandis parati
Danubio, Rodanoque Gallae,
Raptim ruentes, Itala viribus
Vigere dudum corda recentibus;
Quae Pallas, et curae docentium
Arte novant, acuuntque ulotis.

IN IMMATURAM MORTEM JANUARII D'ORSO

Schol. Soc. Jesu.

ODE X.

Ergo surripis integrum
Mors carpens juvenem; nec verita es genas
Intacta nive candidas,
Nec vultus roseos, quos neque laeserat
Cypris saeva venustulis;
Nec noxae macies, nec stygis halitus?
Atqui non ita legibus
Cautum est coelicolum, cum tibi gentium
Fatique arbitrium est datum.
Terris, tartareis excita sedibus,
Vindex Numinis incubas,
Quem mentes hominum desipientium
Spernunt immemores poli.
Quae te non capiunt oppida, quis locus

Usquam est, cultaque Civitas,
Quae nou densa velit funera sontium,
Indignata licentiam;
Vastantesque domos cum dominis manus?
Hic foedo fluit otio,
Hic corde insidias, saevaque vulnera
Civi struxit, et hospiti;
Hic aedem excidiis, hic genus inquinat.
Stupris; et maculat toros,
Pellex innocuos, irreparabili
Actus nocte libidine!
Ohe, quo rabiem, quo tua Spicula
Vertis, mors male sedula
Raptare innocuos? invida demetis
Januarium, tulipam comis
Ridentem variis! fallor an aethere
Est lapsus modo pennigen,
Jussu qui superum nou bene creditam
Terris compede liberet
Mentem, et sidereis sedibus inserat?
Non lux, non species genis
Abeistit roseis; floret odoribus
Late purpureis caput;
Ridet, quaque potest voce suum canit
Fatum, sideraque adpetit
Penna, par niveis alis oloribus.

DE VETERUM ROMANORUM FORTUNA ET VICTORIIS : FUTURO MESSIAE IMPERIO PRAELUDEBANT.

ODE XI.

Quicquid canora personuit tuba,
Late per urbes fama, volucribus
Innixa pennis, in Quiritum
Nomen; opes, genus, atque pugnas
Clarans, retractet: non animis vigor
Tantus juventae, non ea consili
Virtus, et hastis, et lacertis
Robur erat, pedibusque fervor,
Utrumque mundi ut tangere terminum
Possent ruentes; ut neque Gallici
Enses valerent, neve Iberi
Tela pati Tiberina, et arcus;
Quamvis ad undas corpora rusticus
Duraret Hirni cultor, et Appulus;
Poenique, Teutonique eodem
Corda metu, similique luctu
Viso coirent consule; nec mare
Longum Britannos, nec juga Pannones
Nimbosa munirent, et alpes,
Aut genus Antiochum, vetusque
Gentis minacem gloria Perseum;
Quin Italorum vinceret impotens
Virtus, et invitus Quiritum
Ferret Arabs, Batavusque et Indus

Opes subactus : sedibus arduis
Demissa Olympi creditur Italos
Movisse virtus , et paventes
Per maria et glacies et ignes
Bene ominatos dirigere ordines :
Utqumque belli dirus amor lucri
Excivit ausus , et per altas
Explicuit sua signa consul ,
Ducturus arces, agmina militum
Ferociorum , credita bellici
Proles Gradivi , quo superbae
Exquiliae , capitoliique
Stetere turres ; scilicet arduo
Caelestis auctor militiae in feros
Manes , et instantes ruinas
Olim alacer reparare culpae ,
Dudum Exquilino culmine constitit ,
Dixitque forti concutiens manu ,
Qua terram , et imas terret umbras ,
Ægida , tergeminumque telum
Michael : inani consilio Quiris
Litas gradivo victor, et hostibus
Erepta statori refigis
Arma Iovi , facilem futuris
Pingui adprecatus motibus hostia :
Quem spernis audax fidere manibus ,
Deo triumphos , et potentis
Imperii decus omne debes.
Insane nescis , cui tua serviat
Dum regna virtus subjicit : aethere
Promissa proles , et futurus
Perpopulos dominus recenti

Virtute Princeps te latet ? invius
Hunc ne daturum vincula manibus,
Tardaret orbis, et reclusi
Dissidio eloquii atque morum
Fines, remotas dat tibi legibus
Conjungere urbes ; regnaque principi
Subjiecit uni, qui subactos
Mox populos suaque arma tradet.
Tum tu recentes, hospite numine
Auctore, leges Mercurii, et Iovis
Oblitus, et Vestae, atque jani,
Consilio meliore servas.

IN QUEMDAM, QUI SEVERE ADMODUM CUM STUDIOSA JUVENTUTE AGEBAT.

ODE XII.

Sume desuetas citharas, nec ultra
Laeta cuncteris, soboles Salerni,
Si tibi laudis studium, et beatae
Cura quietis.
Cernis, ut multa rabie aestuosus
Te petit saevas minitatus iras,
Balbus? Hunc nulla poteris, inventa,
Arte tenere.
Scilicet tantas, neque militaris
Suppetit vires animus, nec urget
Dirus argenti furor, et rapinae
Coeca cupido.

Aetas, nepotes perdimus otio:
Nec vita stabit labilis: Invidi
Vertemus orbem, ni benigna
Mente Deus reparet quod olim
Effinxit, et res ordine mobiles
Certo coercet; provida caverat
Hoc mens avorum, dum severa
Palladias studuere certa
Munire curas lege; quid arcibus
Tectis que fiet, si semel abditae
Cessant cohortes, additusque
Desidiae vitioque custos,
Metus laborum mentibus excidat;
Aut lex querelis credula, mitior
Perstringat aures, et juventae
Indocili volucrique parcet
Menti, ut repertas quolibet ordine
Erret per artes? non placet arduo
Phoebi recessus; et supinos
Pieridum penetrare lucos,
Iam nemo curat; tum modicus labor
Fastidiosi deterit Ingeni
Ausus; vagantes tunc inanis
Cura capit studiumque mentes
Licentiosas; mox subit insolens
Ardor medullas, atque amor ossibus
Incestus haeret; et relictis
Quaerit amans levis angiportus,
Musis perumbras clam puer avius:
Ergo et laboris terret et ardua
Tum cura bellorum, et patentem
Callidior subit hostis urbem.

CUM AUCTOR

In rationalistas aliquid disputaret; ac obiter, arrepta occasione aliquid de pietate in Deum diceret, casu avicula ad ludi fenestram accinit.

ODE XIV.

Est pravis sapientia ;
Est et mentis opus : disserit impius ;
Et vi tollitur ingeni.
His queis foeda coquit pectus amoribus
Cipris , quos acies juvant ,
Et martis litui , jurgiaque et doli,
Turpi dant studio decus ,
Quod multo calidi post epulas mero
Irritare libidinem
Fundunt, atque animos tollere commodum.
At non hic modus integrae
Virtutis ; placido lumine conspicit
Illam a vertice flammeo
Coelorum , superum rector et artifex:
Et blande fovet intuens ,
Quod se coelicolum magnificam datis
Ostendit generis memor ;
Nec quae summa tenent condita sidera
Audax stultitia petit ,
Scrutaturque homini non data , callidi
Fidens viribus ingeni;
At quas fert segetes prataque commodis
Tellus foeta vaporibus ,
Quae campos vario flumine praefluunt

Flexu, quae volitant vagae
Diversae volucres, quo nitidae vigent
Terrae munere belluae,
Et pictum variis sideribus polum
Alta mente agitat legens.
Certa tunc animo affulget imagine
Auctor; numinis occupat
Scrutantem facies; depereuntium
Rerum vim reparabilem
Sentit; non humili corde capacius
Complectens sapientiam.
Et dulci tacitus carmine praedicat.
Huic quis munera dividit
Virtutis? rapidum sidera vincere
Et certare modis parem
Quis cum Virgilio cum Vario canit?
Absit noenia pellicis,
Mendax quae levium pectora vellicat:
Leni voce avis accinit
Quae circum volitans moenia pipilat,
Felix nuncia numinis.
Salve cura Dei, munus amabile
Parva Pallade nobili
Vati: tu cithara dulcior et lyra
Omni tu volucri canis:
Seu te terra tulit proxima, seu venis
A sero hospita littore,
Non mercede cares; si quis adest vigor
Exucto ingenio; mea
Si quid vox poterit, clarior omnibus
Jam fies avibus; tuo
Diceris studio, me recreans, pia.

IN PYRAMIDEM, QUAE IN PLATEA VULGO
del Gesù Nuovo
POSITA EST.

ODE XV.

Ergo sublimes per inane moles,
Lege quas doctus varia decorat
Artifex, reges sibi Caesarumque
Vindicat ordo?
Multa per campos, sata qua Canopi
Arida effuso rigat amne Nilus,
Regio ponit monumenta ritu
Splendida Memphis.
Nec caret saecli melioris Heros
Munere: eductas videt ad sonantem
Aufidum moles, memoratque regum
Daunia pugnas.
At quis Aeterno statuet trophaea
Praelio, per quod cecidere Ditis
Regna, quem fortis sine labe Virgo
Calce fatigat?
Has tibi Siren benefida, Divi
Destinant partes: tua si benigna
Nota jampridem pietas, opumque
Copia Coelo.
Scilicet nulli nituit per orbem
Gratior Virgo; tibi quam parentum
Notus in Divos animus, bonique
Edocet usus.

Ergo non ultra mihi Vaticana
Pyramis fulget, sociaeque turres;
Arduo quamvis superent avitas
Vertice sedes.
Ista jam moles mihi praeter omnes
Fulserit, quam non cruor atque rapta
Hostibus cingunt spolia et superbi
Signa triumphi.
Hic amor circumvolat, et nitenti
Imminens vultu pudor, et venustas;
Qualia in magno Dominae duello
Arma ministrant.
Multa supremam glomerata partem
Occupat pubes superum, pedesque
Lusitans lambit, levibusque vultum
Verberat alis.
Praebet ingentes medios virorum
Tum locus vultus, quibus excitata
Ora cessantum cecinere in atros
Praelia Manes.
At quis in saxo statuetur imo?
Auctor hic princeps Carolus; sequetur
Pipius; sed pars tibi, Genuine,
Tertia cedet.

IN CAROLUM BORBONIUM UTR. SIC. REGEM

Nobilis Academiae Neapoli instituendae auctorem.

ODE XVI.

Mentem sollicitudines
  Vexent ; atque animis eximat otia
Cura , et dulce periculum
  Navis ingeniis , illita et aureis
Fulget vita laboribus :
  Quod si lethifera torpet inertia
Mens , et libera diffluit ,
  Paulum seposita distat aqua , lacu
Quae caeco vitium capit ,
  Si parcet timidus navita remigi.
O quisquis patrium genus
  Clarare , et columen forte amat urbium
Dici postgenitis , catos
  Vires promoveat mentibus insitas ;
Et mortalibus additam
  Igne ex aethereo particulam gravi
Perdi desidia haud sinat ,
  Iratis superis : seu velit ardui
Spe lucri , et studiis stipis ;
  Seu malit validis ponere viribus
Artes urbibus utiles.
  Sed si Pierias mentibus applicet
Alas ; et jubeat citas
  Per coeli ire suos regna volatibus ;

Et tentare volubiles
Naturae latebras, arduaque impigros
Non arcent juga montium,
Quo sese bibulis dat Deus auribus;
Summo sidera vertice
Tunc urbes feriunt; terraque discrepat
Campis aethereis parum.
Hoc te, Parthenope, Borbonidum decus,
Servat Carolus omine:
Hoc, te nullus adhuc impetus auspice,
Aevi diruere aut grave
Phoebeis potuit nisibus otium.
Felix usque viges; recens
Te vis atque labor, te studium novat.
Quid tanto bona Principi
Debes, Parthenope, concilium virum
Testis mercurialium,
Densum, grande, vigil: praepetibus vides
Pennis aera nobiles
Affectare choros, quos neque mollibus
Siren vocibus impedit,
Nec duris abigunt multa laboribus
Blandimenta loci: leves
Quin tentent, homini non penetrabiles
Tractus, et pede libero
Pergent, quo vocat ars, et nova mentium
Lux, ut non oculos latens
Fallat, si quid adhuc res tegit ardua.
Grato scilicet ordines
Rectos eloquio roborat impiger,
Dum natale solum redux
Princeps Euboico littore patrio

Mutat debitus Hespero :
Belli propitio terquater exitu
Campanis, ait, urbibus
Ingratam rabiem, et praelia distuli ;
Et pax, almaque faustitas
Duratura bono, si libeat, die
Aeglen occupat arduam ;
Externosque seris aenea ferreis
Hostes arx prohibet satis :
Sed pacata subit pectora civicus
Ardor : hunc alit otium
Cessantesque animi : si malus incubat
Torpor ; si jacet immemor
Iam coeli ingenium, quantus adest tibi
Urbs olim labor ! illico
Ut ferrugineis sordibus obsitae
Enses sepositi rigent ;
Sic pubes residet : bellaque martiis
Heu quot foeta vaporibus,
Spirat : quam rabidum, quam tumet horridum
Vulgus, nil sibi temperans !
Non hoc ullus avum mos, neque lex tenet,
Quam non mente capit rudi,
Spernitque indocilis : fulminet igneis
Princeps hos jaculis, tamen
Duros, nescio quae vis, animos agit.

CUM QUINTINUS GUANCIALE

Carmen epicum edidisset latine scriptum, Bartlemejus nobilis poeta Gallus carmen epicum ad eum scripsit, ubi et auctoris et latinae linguae laudes prosequitur.

ODE XVII.

Musa, cui grati Latii recessus,
Ne tegas ultra pudibunda vultum;
Desine irarum; et renovata laetam
Exere frontem.
Non tibi insanus juvenum timendus
Sibilus; vel quae gladio minantur
Barbari, in fractos iterare fortes
Bella latinos.
Cui caput lauro merita Camoena,
Qua liquor Celtas medius coercet,
Cingit, hic plectrum Latiale fatis
Eripit ultro.
Voce qua cultas numerosus aures
Delinit late, tibi plaudit: ora
Contrahit victus, tua quisquis audax
Munera sprevit.
Copiae tu fons sapientiaeque
Diceris mater, tenerique coles
Ingeni, et duros renovare mores
Apta palaestra.
Ergo contemptae decus atque nomen
Tullii linguae redit: e remoto
Scrinio Aeneis rediviva mentes
Arbitra flectit.

At tuum tu cui decus set coronas
Destinas? quem nunc celebrare cantu
Niteris? primos sibi Bartlemejus
Quaerit honores.
Si mihi quales animos facesque,
Dante te, Flaccus Variusque sensit,
Praebeas, clarum caput haud decora
Fronte carebit.
Palladis dicam sobolem et Quiritum
Semine e magno genitum, Latinum
Mente si excelsa decus exterorum
Unus amavit.

CUM URBANAE MILITIAE NEAPOLI INSTITUERENTUR:
AD STUDIA ADHORTATIO.

ODE XVIII.

Ergo minaci mars quoque pectora
Formidolosus lumine vellicat,
Non gratus olim; et ante dura
Arma placent, strepitusque pugnae
Permulcet aures? Scilicet aeneas
Fernandus hastas ut semel extulit,
Et signa per turres, gravesque
Per plateas micuere dextrae,
Excita pubes, quam cerealibus
Iucunda campis Partenopes alit,
Non ante tractatas lacertis
Martis ad arbitrium sagittas

Aptare gestit : fervere civica
Sentis caterva compita , mobiles
Hac ire et illac , et coruscis
Verticibus cuneos stupentes
Ciere matres : Scilicet arduis
Mentes amicas spes levis arrigit ;
Laurique ad insuetos labores
Urget amor studiumque lucri.
Sic nec furentem navita Bosphorum
Vitat , nec altas Taigeti nives
Mercator horret , dum parato
Addat opes cumulumque acervo.
Ohe juventus , quae melioribus
Sequta Phoebum conditionibus
Meres , et acclivis laboras
Cauta vias superare Pindi ;
Iam mitte lusus quid tibi mollior
Suadet ; nec ausus tardet inertia ,
Si forte plantas fixit imber ;
Et boreae glacialis aura.
Iam ponuit auster , jam glacies fluit
Soluta , et album grata venus caput
Ostendit ; et raucus laborat
Per salebras properare rivus.
Non quod corusca casside moenia
Late refulgent , signaque protulit
Acer sodalis , atque aduncos
In lybicos aquilae leones
Pedes obarment , te manet asperi
Labor duelli : discrepat horridis
Pugnis Licaeum , et martiales
Pierides timuere rixas.

Intaminato si bene pectore
Servas, benigna quae tibi dividit
Doctor loquela, si profundis
Quae tacita Deus afflat aura
Haerent medullis, haec ubi sedulo
Statim sodali prompseris impiger,
Si quando cessantes procaci
Ille animos, trepidumque voce
Pectus lacessit ter quater, expedis
Fastidiosa sollicitudine
Mentem laborantem, et triumphum
Laetus agis sine caede victor.

DE NEAPOLITANO REGIO PAUPERUM HOSPITIO.

ODE XIX.

Frustra legibus ordines
Componit varios, juraque digerit
Princeps, sedulus asperas
Propulsare vices sortis, et urbibus
Leni commoda creditis
Afferre imperio; si caret utili
Cura vulgus, et ardua
Spernit mens humiles: legibus otia
Certis longa fovent; opes
Crescent nobilium; splendidioribus
Fulgent moenia molibus:
Cui plures tulerit pingius arbores

Arvum, per fora fervido
Fertur quadrijugo; vestibus additur
Aurum; purpurei cŏmis
Nodi; nec deerunt munera Palladis.
Sed numquam mala pauperum
Discedet domibus illuvies; riget
Moerens sub larĕ frigido
Mater cum pueris; qui gemitu petunt
Frustum; dum dapĕ proximus
Vicinum benĕolens sollicitat focus.
Hos quis colligit avios;
Quis crustis reficit viscera commodis?
O si te patriae cupis
Dici per titulos et statuas patrem,
Quisquis gentibus utiles
Leges constituis, quos male videris
Errare atque hiemes pati,
Aut soles rabidos, nullius indigi
Heredem sobolem patris,
Tecti sede prius collige commoda,
Multorum generum parens;
Aut queis tu sedeas divide moenia.
Haec ut pectore Martio
Sensit nobilium Carolus urbium
Regnator, sibi creditam
Cogit pauperiem: latius hospites
Tendat cura Lares, ait,
Quam quae cum socio splendida sanguine
Me claudunt penetralia:
Haec mentis statuit illecebris tumor.
Damnosaeque licentiae;
Ast illos pietas grataque Numini,

Per quam regna vigent, manus.
Si me Parthenope, prima potentium
Terrarum, tenero fovet
Ultro sponsa virum nunc gremio, nefas
Si quam parturit indigo
In vulgo sobolem pauperiès premat;
Proles regis inops meis
Fertur post genitis; sordibus obsita
Quando haec errat, inutili
Ipse ostro niteam, divitiis erit
Labes maxima fulgere.
At tu quisquis amas advena nobile
Sirenis genus et domus
Mirari; gravius cum videas opus
Primo in limine pauperi
Eductum; hic celeres siste gradus: minor
His omnis domqs aedibus,
Si nil non superat gratia Principum.

INGENIUM LEGE REGENDUM,

ODE XX.

Lauream si quis capiti coronam
Quarit, et Pindi numerosa tecta
Ingredi, magnos habiturus inter
Nomina vates:
Audeat certum penetrare callem,
Et recusanti dare jura menti;
Libero si quis nimis ire passu
Nititur, errat

Littore ut solvens male structa navis,
Quam nec optatum regit in patenti
Sidus Aegeo, neque rector aequa
Mente gubernat:
Avia aut cursus iterat relictos;
Aut adit syrtes; simul unda motis
Horruit ventis; tumidaeque condunt
Aera nubes:
Sic per insanos equitare mentis
Dum puer motus calidus laborat,
Errat, incertusque ruit per atros
Devius agros.
Flebilis nulla reparandus arte
Vel fatigatis medio lacertis
Haeret in campo, vel inultus alta
Pendet ab arce.
Talis haud jussi docilis paterni
Icarus callem sibi destinatum
Linquit, et liber nimium per aetrham
Esplicat alas.
Applicent aures quot ad alta Pindi
Impetus primae pepulit juventae:
Grandia incautis tenerisque canto
Fata puellis.
Ille pennatum per inane corpus
Ire dum sentit, nimis expeditae
Credulus pennae, sine lege labens,
Fertur ad astra.
Nuper ignotos volitans per orbes,
Dum leves lusus volucrum aemulari
Nititur, fatali iter institutum
Deserit ictu.

Qui simul plantas pelago madentes
Seutit, et pennis viduos lacertos,
Flebili, dixit, perii relicto
Voce parente.
Stultus a caro genitore fugi;
Et polum nisu petii impotenti:
En brevi claudor pelago, mororque
Lentus in unda.
Voce qua infelix minus audientem
Daedalum appello? quibus imminentem
Viribus mortem moveo, nigroque
Solvor ab Orco?
Qui modo celsae studiosus aethrae
Arduus sedes superum tenebam,
Ditis heu nulli miserandus imam
Ducor ad aedem.
Adfuit Phoebus puero cadenti;
Dumque fatalem bibit ore fluctum,
Fertur extremum minuisse tali
Voce dolorem;
I puer, nigrum pete laetus Orcum:
Fiet exemplum tua mors juventae;
Ne meas, certe peritura, fingens
Deserat artes.

AD CARMEN NOBILISSIMAE POETRIAE JOSEPHAE QUACCI

In obitu Donati Gigli doctoris praeclarissimi epodon. Ad ornatissimum virum Cajetanum Ciaramelli ; et de suburbio vulgo paradisiello.

ODE XXI.

Non sola flores inter et arbores
Erras reducti collis in herbidis
Saxis, silentis et cubilis
Taedia tu patiere inulta
Mens o bonorum flebilibus modis
Defleta, nomen cui bene lilia
Fecere ; dum mortale claris
Sideribus penetrale mutas.
Abest remoto a tramite inutile
Vulgus : nec altis insidet aedibus,
Quam tu camoenis, et sophorum
Concilio, alloquioque gratus
Odisse gaudes, desipientium
Cohors procorum : te nec inanibus
Curis, jocoque cogitantem
Impediet leviore pubes.
Decus virorum mercurialium,
Malisque pressae palladis ausibus
Tutamen, et virtutis unum
Praesidium trepidae inter arma;
Turbis strepentis tam popularibus
Infestus urbis, quantum Heliconiis,
Phaeboque Cajetanus uni
Te sociat veniens amicus.

Descende : solam ne timeas domum
Subire : cernes quid sapientia
Possit ; quid in pectus camoenae
Dulcis amor bene praeparatum.
Vetusta doctis tempora paginis
Descripta sentis : quid Babilonii
Reges, et Aegiptos ; quid urbi
Terribili metuendus olim
Poenus caterva fortiter egerint,
Graecusque et Indus : nec siculi latent
Gallique et Hispanae cohortes,
Antiochusque gravisque Pyrrhus.
Suaviori digerit ordine,
Mox quae vel orbi conditor omnium
Dedit creando : quaeve coelo
Gens hominum duce lecta gessit.
Pulchris nitoris nobilis artifex
Non insolenti lumina dextera
Appingit, insuetosque rebus
Ingenio haud humili sapores.
Piget beati culminis et morae ;
Dicesque : terras non latet aetheris
Summi voluptas, si loquela
Nostra hominum valet aemulari.
Num fallor ? ardens en studio novo
Viget juventus : hic sapientia
Mentes, et abductos inani
Cura animos benefidus oruat :
At tu coronam mox repetens polum
Donate, caro jam capiti para :
Vulgare contemnit deorum
Muneribus coma digna sertum.

AD SACERDOTES HISPANOS EXHORTATIO

ODE XXII

Pone torquendas manibus sagittas,
Baetici custos pia turba templi,
Neve bellorum meditere inanes
Acrior ausus.
Discrepat tonso capiti galerus;
Nec togae thorax gladiusque compar:
Aeneas glandes male dextra jactat
Debita sacris.
Hac tuam si tu studeas tueri
Arte nunc vitam male prodis: armis
Aptior miles cui vis tremendos
Instruit artus.
Si preces tanto trepidans periclo
Mollius coelo moveas, tuoque
Clausa custodes studeas cubili
Flectere Divos:
Hostis insanos videas tumultus,
Ut leves austro volitante aristas,
Comprimi; et saevos pelagi frementis
Ponere fluctos.
Non minis olim gladiove Petrus
Roma vos victor capitoliumque
Subdidit Coelo: neque saeva Caesar
Spicula pavit.
Vincla nec Grajis manicasque Paulus
Intulit; saeva rabie tumentes
Principes prono domuit, trucesque
Ore phalanges.

Nobilem centum populum triumphis
Et gravem patrum numerum, et nitentes
Aureis textis equites paventi
Pectore vicit.
Ore submisso facilique lingua
Praeliis durum sapientiaque
Caesarum pectus tumidum, et procaces
Leniit aures.
Inclyti proles pietas tonantis
Non eget telis, neque militari
Impetu, adversa ut superet timendus
Bella ruina.
Ille qui nutu superos et imas
Temperat gentes, facilique torquet
Brachio coelos sobolem, domumque
Rite tuetur.
Non tibi thorax deerit, nec ensis,
Si cares, illo prohibente, ferro:
Altera e coelo tibi missa obarmant
Spicula dextram.
Igneus centum tibi teta vultus
Torquet: ardentes volitant sagittae
Ut semel lingua strepis: ipsa terrent
Lumina Martem.
Tu sacram ablatam quereris rapina
Impia Gazam, vacuumque templum:
Quodque fortuna minus ara avita
Sacraque splendent.
Sperne quae leni rapit aura motu:
Splendeat certa pietate templum:
Haec opes addet cumulatque vastas
Largior arcas.

Laxius strictae pietate dextrae
Mox patent ; si te superis minorem
Gesseris, major sequitur ferentem
Copia curam.
Tum tumens ira superis amicos,
Quos ferox spernit male fidus hostis,
Noverit : quo mox pietas et aras
Gloria crescet.

IN CLARISSIMUM VIRUM IOANNEM MARCHIONEM D' ANDREA

ODE XXIII.

Aurum secutos vidimus ardens
Virtutis arces et sapientiae
Liquisse, caenosaque colles
Saepe homines leuisse, et astris
Posposuere nulas stultitiae curas :
Aure subactos non semel hostium
Impune perires rapinae
Castra duces acieque inulta
Declive : Natos quis pater impios
Ardens acervo dum cumulans adhaere
Studet cuncto, saepe iniquas
Ferre hiemes patitur nivesque.
Fortè, Ioannes, spernere pectore
Opes et auram lumine te modo
Unum irretorto hasta videt
Parthenope, tibi dum repostas

Communem in usum divitias dabat
Custodiendas, asperioribus
In rebus expertus fidelem
Qui siculos regit aeque utrosque.
At quis nitentes per cumulos gradu
Intaminatum pergere libero
Iussit ? per ambages malorum
Corda quis expediisse gaudet ?
Vestrum, camoenae, vestrum Heliconias
Evectum ad arces nobilioribus
Auxit metallis, atque amaenis
Pallas amica aluit viretis :
Dum fonte puro duceret impiger
Quas praebet undas Delius, otii
Oblitus immunisque ludi,
Quo juvenum male suada vertit.
Abacta siren pectora : nam die
Qua Pallas altis Romulea in jugis
Recepit, et caetum recentis
Parrhasiae sociare suasit ;
Invecta curru sorpuit arduo
Amica menti pieris integrae ;
Divosque mortalesque acuta
Edocuit meditari avena.
At quae loquentem protinus increpat
Imago aperto prodita ab aethere ?
Num te, Ioannes, rapta sentit
Mens facili eloquio canentem ?
Non certa fingis : desine inania
Iactare vates : non Heliconiis
Vis tanta saxis, nec camaenis,
Ut laqueo expediatur auri.

Pronum parandis ingenium unice
Mortale rebus : si mihi dextera
Immunis auri : si patentes
Sponte mihi fluvios opesque
Forti paratas pectore distuli ,
Coelestis unum jam sapientiae
Hoc munus : altae testis aedes ,
Et superum penetrale , et astris
Amica pubes : si mihi Palladis
Optatus usus : si placuit sacer
Sthoae recessus , Vaticanas
Divitias meliore cultu
Sacras per aedes tum studium et labor
Quaesisse : Coelo debitus unice ,
Quae prona largiretur ultro
Gratia coelicolum insuetus
Ardor profundo condere pectore :
Diviniorum sic ope munerum
Satis beato nulla gazis
Cura frui , titulisque nulla.

DE VIRGINITATE B. FRANCISCAE A QUINQUE PLAGIS

ODE XXIV.

Summo nitentis margine lilii ,
Surgente primo lumine, guttula
Rorata matutina ad auras
Lene caput folia alba tollit.

Sed mox ut aethram celsior occupat
Phoebus, favillis et rubet igneis
Aer calescens, concitatque
Pulveream cita rheda nubem;
Exuctum in agro, languidulum caput
Demittit, ipsis vel miserabile
Glebis; et indignatus atra
Ora puer modo laetus, odit.
Talis juventae, cui nitet integrae
Pudor medullae; vertitur aureae
Frontis venustas, ora pallent,
Igne pium violante pectus.
Lascivientes tunc animos venus
Subit lacessens, Mars rapit efferos
Ad bella vesanum, tumenti
Corde malos meditatur ausus.
Invisa coelo mens male devia
Insanientis consilii tenax
Errat, nec audaces benigna
Cura pedes pietasque ducit.
Unus labanti dux animo datus,
Custos salutis, unus; ad arduas
Si dura vitae, si laborum
Dura vias studiumque tollunt.
Hac arte coelum te sibi debitam
Francisca servat. Scimus ut arbitra
Superba morum pervicaci
Parthenope insidiosa mentes
Foedare vultu gaudet: inanibus
Devincta curis pectora subruit.
Munire nec juvabit aures;
Cuncta domat male suada cantu

Syren dolosi carminis artifex ;
Nec texta prosunt dura , nec infula :
Sensere vel postes catena
Tergemina validae atque turres.
Nitente primo flore puertiae
Francisca fulget , despicit horridos
Immunis ausus , et perauras
Liberior capita alta tollit
Amica divis : scilicet obsita
Horret pruinis ; squallida sanguine
Frigente pallent ora ; longa
Membra febri tenuata languent.
Coelum fatigat : viscera formina
Occulta vexant ; stat capiti vapor
Infestus ; artus et per omnes
Saeva ruit laceratque tabes.
Horrere cernis ; ducere anhelitum ,
Languere vultu ; dum stygio e lacu
Horrenda circum tecta mugit
Saeva cohors minitata mortem.
Ohe ! vigentem sydere nunc licet
Spectare mentem : vulnera roborant ;
Post fata major surgit , aucta
Perpetua species juventa.



LIBER II.

AD ITALOS DE STUDIO SAPIENTIAE.

ODE I.

Novo subactum servitio parant
Vexare gentes te, genus Italum,
Fortuna dum dulcis secundas
Praebet opes, animumque tollit.
Hinc urget Ister imperiosior
Minans catenas; hinc Rodanus strepit,
Novisque te mutare cogit
Moribus arbitrium parentum.
Quo te periclis consilio expedis?
Qua vi potentum discutis impetus?
Vides ut immiti duello
Adproperant iterare caedes
Injuriosas, et dare vincula?
Ultra bifrontis ne reseras Dei
Fores, vetusti nec Gradivi
Terribiles cieas furores.
Non hac avitum lege dedit Deus
Decus tueri; brachia inutili
Defessa jam solvit labore;
Armaque non repetenda in alto
Cum Marte jecit, signaque Tiberi:
Iam cede dixit; sat furialibus
Datum rapinis; trade saevis
Scuta animis, rabidus quot urget

Amor duelli : non tamen irritum
Genus relinquam ; pectora viribus
Novis , nec auditis obarmo
Mox opibus domitura terras.
Natos secundis scandere nisibus
Vides , ut altas Palladis impigri
Scrutentur arces , dum soluti
Arte vigent operosiore.
Fessi duellis astra per otium
Quaerent ; benigne se sapientia
Praebebit ; et sublime raptis
Grata suas reserabit undas.
Discent quid imo pectore digerit
Numen , paterno quo revocet vagas
Errore gentes , quave princeps
Lege animos renovet Quirinus.
Magistra cunctas eloquio reges
Terras quot olim viribus imperi
Regina flectebas , nec ausus
Cuncta manus rapientis urgent.
Cernes Molucas et grave Conchanum
Sedes vereri Romulidum , et manus
Tenere saevas ; atque cultus
Ferre pios , timidos perire.
Discentque quod vi Bartolus ingenii
Scrutatur , altus quo Petrus ordine
Arcana quae dictavit olim
Rex superum Catus explicavit.
Est qui canoro carmine temperat
Desaevientum pectora , ab Alpibus
Utcumque demissae catervae
Bella ferunt animosiores.

His tu placebis ; dextera amabitur
Frigente proles Italiae , globo
Quam nuper ignito tonantem
Finitimae timuere gentes.
Ergo juventus quam tulit ultima
Aetas senescens, deses inutili
Cessare tu ludo gravique
Corda situ maculare perstas ?
Ohe relictis digna petas jocis :
Soctare calles promptior arduos,
Qua Coeli adivit regna Aquinas;
Qua tetigit Galilaeus astra.

AD LECTISSIMUM JUVENEM JOSEPHUM CARELLI

im immatura morte Regina Christina absumpta est.

ODE II.

Ne crede fato te facilem bono
Josephe ; Cum te provehit altius
Fortuna ridentem, caducos
Mente dies tumulumque volve.
Raro nitentes mane novo diem
Vultu sereno deciduum vident :
Plerumque res labens iisdem
Nox tenebris animosque opacat.
Cum summa rerum contigeris , gradu
Solo recusso labilis incubas.
Multosque quod condis per annos
Hora vehit , subitaque acervus

Cadet ruina : vidimus aureo
Fulgere cultu moenia Regia,
Mentesque gestire, et superbas
Laetitia trepidare turres ;
Mox laeta mutant tristia : naeniae
Strident per aras, pullaque carbasa
Pendent ; et atratae coronant
Compositum tumulum lacernae.
Non vultus idem non color aulicis ;
Pallent puellae, quae modo fulserant
Ad strata laetae, thaeniisque
Impediunt sine lege crines ;
Nimisque sortem difficilem canunt,
Fatumque durum : nec bene noverit
Se Rex beatum, prole nata,
An miserum, moriente sponsa,
Pressumque dicat : prospera limite
Finire certo numina cogimus
Nobis iniqui : crescit ausus
Si pedibus patefacta praebet
Calles negatos aura : volubili
Ferocientes vertice tollimur
Ad astra, et audaces beatis
Excidium meditamur orbis.
Quid non nefanda lege superbiae
Stulti teremus ? disjicit igniibus
Deus trisulcis tecta, et urens
Siccat aquas, viridesque campos.

REGINAE CHRISTINAE IN MORTE OBEUNDA CONSTANTIA.

ODE III.

Stulti fugaces heu nimium dies
Amamus! horam quis sibi dixerit
Certam? quid aeternum sepulchri
Immemores jaculamur aevum
Insania? umbrae par volucri fugit
Mortalis annus; ut stipulas notus
Attollit avulsas per auras,
Ire vides per inane mentes
Vita solutas. Hoc bene caverat
Christina; quamvis regia plurimo
Auro niteret, et trecenae
Rite rubras traherent clientae
Lanas, ab Indo quas vehit ultimo
Mercator audax: et dape regia
Tripes redundaret, scyphosque
Ingererent pueri calenos:
Fastidiosam lumine copiam
Sprevit severo; numinis unice
Devota flammis: et pudici
Delituit studiosa moris.
Ergo minacem non timuit gradum
Mortis propinquae; membraque lividae
Quae decoloravere labes,
Luminibus videt irretortis,
Fertur querentem funera Conjugem,
Moestasque matres asperioribus
Jurgasse dictis; et labantes
Alloquio tenuisse mentes:

Quid me querelis non revocabilem
Urgetis ultra ? ah nimium pii
Peccatis, inquit : destinata
Morte libens humiles relinquo
Terras, et ultro quae dederat bonus,
Deo resigno ; non adeo gravis
Iactura regni, nec mariti
Difficilis thalami ruina.
Quandoque coelo destinor, avidae
Affixa terrae quid moror ? ut mihi
Opes recedunt : aureoque
Ut piget incubuisse strato !
Sordent tapetes ; fultaque Hymettiis
Ædes columnis : tollite naenias
Maestas sorores, immerensque
Tristitia prohibete pectus.
Auditis ? An me fallit imagine
Vana propinquum funus ? ab aethere
Videre demissos ministros,
Et videor sociare Jesum
Eblandientem : fundite lilia
Rosasque : flava striagite thenia
Crines solutos : parce princeps ;
Me potior rapiet meritus

DE REGINAE CHRISTINAE FUNERE, ET CHOLERA MORBO IMMINENTE.

ODE IV.

Regium ut limen tumulanda raptae
Ossa Reginae, praeeunte turba
Flaminum, linquut, sequiturque matrum
Flebilis ordo:
Ora Sebetus lacrymosa tollit,
Fonte qui cautes sonat ad marinas:
Atque dicturus fera fata latam
Comprimit urnam:
Nuptias ergo bene ominatas
Invidae tandem soluere parcae?
Nullus et Divum miserae levamen
Attulit urbi?
Quanta mors secum male dura raptat
Commoda! Heu quantum tumulo sub uno
Conditur nobis decus, heu quis optat
Esse superstes!
Otium terrae requiemque gentis
Evehit secum: fugit hinc sequta
Ingemens virtus; vacuamque risus
Deserit aulam.
Heu tibi quae nunc mala, quisque luctus
Imminet Siren? Age te trecenis
Clavibus muni, triplicique firma
Objice postes.

Cui dabis partes rapidum amovendi
Impetum tabis, cita quae per Alpes
Irruens dudum sinuosa circum
Æquora serpit?
Quis tumescentes tenet aestuosi
Vesvii flammas? male fidis auris
Mollibus, nec te bene praeparata
Agmina servant.
Cernis infelix trepidare mestam
Hinc et hinc gentem, lacrymasque inultas
Pauperum, quos nec pietas nec ulla
Dextra juvabit.
Squallidos erras lacerata crines,
Si sit aerumnis modus. Obstinati
Caelites arcent: prece quos volentes
Illa vocabat.
Ter manus coelo tulit: annuebant
Supplicis votis Superi; ut ruentes
Pannonum coeso Lisabetha tergo
Muniit arces.
Ite: vos nutu sequor: o colendi
Semper et sacri cineres: repostos
Ara vos servet, neque spes salutis
Omnis abibit.

IN OBITU REGINAE CHRISTINAE : QUIBUS VIRTUTIBUS FLORUERIT

ODE V.

Rursus strepentes murmure tibiae
Aures fatigant ? scenaque civico
Plausu resultat, regiumque
Auro iterum penetrale splendet ?
Olim parentes illacrymabiles
Sepulchra condent ; corpora posteri
Defossa natorum per urbes
Strata feris laceranda cernent :
Si luctuosi funeris immemor,
Siren, relictos nunc iteras choros,
Absente Christina, comasque
Gestit adhuc redimire Virgo.
Non si Vesevus pro pice torrida
Manabit auro, seu rutilos maris
Volvit smaragdos unda, tanti
Damna valet reparare lethi.
Dolenda multis cum superis humum
Christina mutat ; flebilior tamen
Decedit aris ; atque rectae
Quisquis amet bene facta mentis.
Qualis vagantes aequore fervido
Lucerna cogit splendida navitas,
Undisque fractos aestuosis
Littoreas agit alma ad oras ;

Talem nitentem moribus integris,
Culpaequae puram vidimus arduam
Fulgere Christinam per aulam, et
Ore gravi cohibere mores,
Quicumque sancta lege modestiae
Dissentiebant; erubuit levis
Nutus puellam, nec dolosi
Consilii placuere fraudes.
Peccare Virgo credidit, aurea
Si non amictu tempora linteo
Muniret, aut crines solutos
Ferre leves pateretur auras;
Pudorque matri thaedia staminis
Fuere: dextra dum teretes colos
Regina tractabat; laborque
Dulcis erat variare telas.
Quod si dolentes non reficit redux,
Deestque vultus formaque foeminae,
Atra carebit veste siren,
Atque leves redeunt choreae?

OBEUNTE REGINA CHRISTINA

Adolescens inducitur, qui breves vitae voluptates dolet, ac illis vale dicere constituit.

ODE VI.

Coelebs paterno sub lare tempora
Quieta ducam; nec jecur integrum
Urget cupido, nec maritum
Impediet sociale foedus.

Omni solutus sollicitudine
Vacabo Olympo : nec doleam thorum
Frigere, pallentesque noctes,
Connubium soluente fato.
Heu cui jugalis certa magis fides
Thorusque firmus, quam tibi Borboni
Fernande, quem conjux secundis
Auspiciis sociat, juventa
Prima refulgens? qualis in Appulo
Complexa vitis vulture populum
Pubescit exstendens Chorimbos,
Et viridi tegit arva fronde;
Qualisque ludit trima Saticulo
Exultim in arvo bucula, vivido
Conjuncta tauro, nec frementes
Ore lupos, tigridesque pallet :
Talem sequentem pectore conjugem
Fido videbat, seu stabiae leves,
Altaeque Cumae; seu recessus
Herculeae placuere ripae.
Quin et decoro pulvere sordida
Tractavit hastas, nec timuit sequi
Ad arma, dum miles gradivi
Indocilem erudiit cohortem.
Aut cum favilla pulverea sues
Altas Sabinos per glacies agens,
Avesque vivacesque cervos
Vectus equo impavidus premebat.
At nunc sepulcro condita inutilis
Pulvis moratur; nec valet imperi
Ciere nutus, nec trecenae
Manibus eripient catervae.

Tu semper albam, semper amabilem,
Quam lege stringis dissociabili
Speras, nec instantis senectae
Iura times neque tela fati?
Brevi rubentes ponere plumulas
Rosam dolebis; tunc veneris piget
Licentiosae, tunc calentis
Oderis illecebras cubilis.

EFFUSA REGINAE CHRISTINAE IN PAUPERES BENEFICENTIA

ODE VII.

Ibis favoni vecta per aethera
Christina pennis ocyor alite,
Nec uda tellus, nec profundae
Impedient latebrae volantem.
Cultrix pudoris jura perhorridi
Diffingis Orci; dius et integram
Attollit ardor, ultimumque
Adproperans penetras Olympum:
Hic destitutam conditionibus
Borboniis non te situs occupat
Obliviosus, exulumque
More jaces viduata coetu:
Longa premeris gente faventium,
Densumque volgus visere gestiens
Urgebit hinc inde, injicitque
Purpureas capiti coronas.

Motasse castris nobilioribus
Dices penates fervida regios,
Et rapta suspires, bonaeque
Mentis opus; facilemque dextram
Amabis: eho quid rudis aetheris,
Et pollicentis numinis immemor
In immerentes dura egenos,
Divitiis misere peperci?
Pudet remoto a littore fulgidas
Quaesisse vestes; heu pudet aureos
Torques, et ardentes nitore
Auribus apposuisse gemmas!
Duro rigentes quam melius gelu
Thoros egeni, frigora Scorpio
Ciente pressissent, in uda
Me domina recubante terra!
Quid non relictas rursum adeo domos,
Mittente coelo? tres superant adhuc,
Datis trecenis dracmae; inempta
Si quis eget dape, verna sumet.

DUM BELLUM A THUNETINO REGULO INFERRETUR

Ah militarem juventutem Neapolitanam adhortatio.

ODE VIII.

Quid militari laetus adorea
Campane fulges, telaque Martia
Tractas per urbem quo quietam
Parthenopem sobolemque terres,

Si te remoto a littore Bistonum
Genus lacessit, vinclaque brachiis
Minatur, atque actas rapina
Grande tenet penetrale puppes?
Ductas ob imo gurgite stipiti
Affinxit uncas barbarus anchoras
Regnator, ostentatque genti
Difficilis monumenta pugnae;
Dum miles altas per mare turbidum
Puppes retrorsum vertit, ut igneas
Sensit procellas, et paterna
Tecta petit timidus perire!
Ergo tyranni pectore barbarae
Crevere vires: jam veteres ciet
Iras et antiquos in urbes
Oenotrias meditatur ausus.
Iam non timendi Caesarii, neque
Ferocientis tela Rogerii,
Bonique, Fernandique dixit
Terribiles gladiis cohortes:
Iners choreis commoda praelio
Sternenda pubes, quae glaciat metu,
Utcumque fulserunt minaces
Turre faces celeresque puppes.
Non instruendae glandibus aeneis
Turmae, nec uncae dextera acinaces
Tractandae, inertes sat feroci
Voce procos oculisque maechos
Terrere; succo quos coma murrheo et
Pulsata dulci timpana nablio
Iuvant; et instructae per umbras
Arboreas epulae, chorique.

At non feroces dissimulat metus
Princeps ; inanis quem pudet otii ,
Patrumque per caedes et arma
Ira rapit ; repetitque pugnas ,
Qua tecta vindex et generis decus
Tuetur ; altas deserit igneus
Bellator aedes , atque inertes
Aere ciet gravibusque dextras
Dictis : Carinis sedulus armiger
Aptat rudentes ; bellica Mulciber
Tormenta procudit ; per auras
Signa volant , animosque pulsant.
Cessas juventus ? en manus advolat
Lybissa ; toto littore barbaras.
Fervere turbas , et timenda
Diluvie penetrare in urbem ,
Qua strata late moenia conspicis,
Et coede multas cum sene virgines
Mactari , et abduci carina
Ducta aditis simulacra Divum.
Tum te vicatim persequitur manus
Victrix ; fuga tum niteris irrita
Latere ; sterneris parentum
Heu dolor , opprobriumque gentis.

DE HERCULANO ET POMPEIS A MONTIS VESUVII FLAMMIS EXUSTIS.

ODE IX.

Quid luce tandem fiet in ultima,
Cum fulminantis rite Dei manum
Insana sentit terra, et instans
Excidium perituros orbis,
Aeterna quisquis nuntius aetheris
Arcana pandis, si rude nunc placet
Docere vulgus, fabulosos
Mitte supervacuo labore
Effingere ignes: si bene noveris
Referre clades, et memor expedis
Quae damna per raptum cacumen
Flamma ruens tulit, et perustam
Herclyn et urbes ignibus obrutas
Tumultuosis non sine gentium
Terrore, vicinique Ponti
Horribiles gemitus et auras
Tenebricosas arte catus refers,
Pallere maestas conspicies genas;
Mentesque perculsas, et aegra
Corda malos cohibere motus.
Dic quantus horror ingruit aethere
Vomente flammas vertice: nubibus
Dic quantus erumpit tegitque
Tecta cinis pluviosque pulvis.

Heu qualis inquit, tunc puer audiens
Et pura virgo, nos manet ultima
Sub luce casus, si recentem
Tantus adhuc rapit ignis orbem!
Quid turbinati nos species loci
Capit, parati nec memores poli
Terras amamus, et per orbem
Multa brevi jaculamur aevo?
Ergo foventem si male pectore
Extrema culpas corripiet dies,
Iam praeda torrentis vesevi
Ipse cadam, et rapientis orci?

SANCTORUM PATROCINIUM QUIBUS SE DEVOVERAT JUVENTUS EXPERTA PRAEDICAT.

ODE X.

Quid te condere moenibus
Certas, aut trepidum protegis aerea
Lorica latus, et gravi
Tormento increpitans aggere fulminas,
Acti si rabie premant
Hostes, aut agitent tela micantia?
Est quae te premet undique
Rerum densa cohors: si tonitru sfrepat
Aether, si rigeant gelu
Brumae, si tacitis foeta vaporibus
Tellus mota tremit, necem
Si jurata simul sidera destinant

Mortali haud animam expedis
Obducens galea ; aut pulvere torrido.
Felix si trepidis caput
In rebus superis credere noveris !
Coeli praesidio potens
Nec tristes hiemes , nec mala febrium
Palles agmina , nec nigrum
Orcum si tumeat laedere pertinax.
Hoc dudum bene noverat
Pubes ; Pierio quam fovet in specu
Phoebus , vincere ludicra
Et tractare modos sedula barbito :
Non illi indica nauseam
Radix tabificam pota coercuit ;
Divis credula ploribus
Commisit , monitis docta fidelibus ,
Laeti tela nimis pati
Aetatem facilem , nec validam satis.
Ergo laeta viget ; genis
Perstat forma , color qui fuerat manet ,
Fulgens ; non jecur enatat
Obstructum sanie , non color aestuat
Per venas , nimis acriter
Impellens stomachum , et viscera vellicans ,
Quo corrupta fluant ; suo
Sistunt firma situ membra , nec ossibus
Affixi quatiunt mali
Rores , quo digiti praetrepidi micant,
Et summi pedis ungula
Horrescit stimulis pulsa nocentibus.
Eequis nunc jecoris novam
Vinci difficilem crediderit luem ;

Interclusa vaporibus
Haeret dum medio gutture frigori
Obluctans anima, aut eruor
Artus corde jacens pulsat anhelitu?
Vester dissita coelites
Forti littora, vel dissociabiles
Accedam populos rate:
Mecum sint superi; seu placeat tua
Me Francisce sequi mana:
Sive adsis placida Kostchiades gena;
Seu tendis Lodoix manum
Non segnem in lemures, telaque manium;
Seu tu me melioribus,
Princeps Ogniades, auspiciis juves,
Nunquam lethifera fluet
Venter diluvie, nec glaciant pedes.
Laetus sub Iove frigido
Sisto; nec gravido si ruat aethere
Nimbus; quo jaceat foro
Interfusa palus, et malus ingruat
Humor, culmina montium
Aut saltus latebras sollicitus petam.
Ridebo, ut furit aextuans
Bilis, vel liquidum sollicitat sinum;
Quod me juncta cohors poli
Tutum dat socio praesidio libens.

ROGERIUS JUS UTR. SIC. REX STUDIIS FAVET.

ODE XI.

Fortuna nunquam rideat aureo
Benigna regi lumine, barbara
Cui bella cordi, martiumque
Semper opus; strepitusque pugnae
Iniurioso dum sequitur pede,
Sordetque sparsis crinibus horridus,
Temnit Camoenas, et Lycaei
Nunquam adit irrequietus umbras.
Me si potentis numina destinant
Regis minorem iussa sequi, truces
Vitabo Achilles, perfidumque
Hannibalem, Herculeasque nolim
Opes superbas; edomiti licet
Partem resignent orbis, et ultima
Ad Bactra regnaturus una,
Jura Pado, Ligerique ponam.
Sed marte in hostes saeviat utili,
Si quem sequatur cultus Apollinis
Depraeliantem: qualis alma
Parthenopes tua sentit arma,
Fernande: nam quo regia te die
Excepit aedes, et tibi debitos
Largita honores gens, recenti
Euboicus face fulsit Haemus.
Hoc cavit et mens non humilis ducis,
Qui secta princeps littora dicitur
Sicana, contempta Charibdi,
Imperio, Ænotriasque gentes

Junxisse in uno, iure suis novae
Parens Minervae dictus, et otii
Alumnus, amotis Sabaeis
Ausonia, gravibusque Mauris.
Domanda ferro gens, Sapientiâ
Regenda, dixit: hic decus occupat
Regale, et aeternos honores
Jure, meas sine caede gentes,
Unâque cui fas dicere consili
Compesco habenâ: viribus imperet
Ursus sub antris, et frementes
Horribili leo voce tigres
Terrere perstet; quos neque legibus
Unquam coerces; nec placido licet
Mollire nutu, per cavernas
Ire vagos, tumulosque natos.
Me persequatur principe nobilem
Siren quietem. Scimus ut otia
Phoebea, Musarumque lusus
Grata viris, quibus haud rapina
Ad bella, et ausus dirus amor necis
Mentes obarmet; sed levis explicat
Natura quos insevit ignes
Grata animis, celeresque menti
Affigit alas; quanta per arduos
Se attollit olim Parthenope polos,
Inusitatos rite calles
Docta mea penetrare dextra!
Ergo nivalis Æmoniae iuga
Fastidiosus Pausilipo parat
Mutare, Sebetique lympha
Castalios latices Apollo.

Non Pindus ultra, non Heliconiae
Dicentur arces, non domus Attica:
Campana succedet Camoena,
Digna suo paritura coelo.

CULTUS BEATAE FRANCISCAE A QUINQUE PLAGIS.

ODE XII.

Non tua, Syren, facie puellum,
Non capis blanda malefida lingua:
Mitte venari: didici dolosos
Spernere nutus.
Nulla jam signis species; theatro
Nulla, et insanis choreis voluptas:
Regiae squalent pario micantes
Marmore sedes.
Una cantatis studiis colorem
Abstulit fulgens facies; fatigant
Vocibus vates; animos inanis
Turba fefellit.
Illa celesti similis renidet
Aliti, qualem trepidus silenti
Nocte Josephus, medioque Jacob
Vidit in antro.
Illa divinas imitata flammas,
Latius fulget, sua quam per orbem
Ora cum promit, spatiata Coelo
Luna sereno.

Obviam spectes, tulipamque dices,
Aut rosam, aut cultis hjacynthum in hortis.
Audies; mollis cytharae aemulari
Murmura credes.
Nulla se flavos simulare crines
Dextera; aut lenes oculos, genasque
Speret; haud tantos lapides Saboea
Terra ministrat.
Myrrhei sordent latices, odorque
Nullus est nardo; simul illa nares,
Quam suo Virgo bene fundit ore,
Percolit aura.
Una componit benefida vultus
Virgini virtus: Superum beata
Adsidet mensis, homini et negata
Pocula ducit.
Oh mihi felix trepidisque liber
Spiritus curis: mihi si per atros
Aequoris fluctus, hyemesque iniquas
Fulserit illa!
Illa complexu trepidum tenebit;
Bella si quando meditatur Orcus:
Illa per nugas animi vagantis
Flectet habenas.
Sentiet compar genus, et nepotes
Aequa poscentes; pietas movebit,
Qua laborantum precibus vocata
Vulnera fovit.
Diva, Syrenem trepidare sentis?
Hostium hinc urget furor, inde Ditis:
Agmina hos terrent; propiore tu illum
Numine pelle.

AUCTOR AD FRATREM IN OBITU CAROLI FILII OPTATISSIMI.

ODE III.

Non si tumenti plenius Aufido
Manant ocelli, sparsaque diffluat
Tellus, Xaveri, luctuoso
Imbre potes recreare natum.
Nec si profundos fortior audeas
Adire Manes pectore Ulyssei,
Trahes dolentem, si piandam
Forte animam cohibent cavernae
Caliginosae: si prece plurima
Cum sol tenebras pellit et incubans
Cum nox reducit, et supino
Ore Deum pius adprecaris,
Charum latebris expedies caput
Laboriosis. Pulchrior adspici,
Omni solutus sorde sedes
Luctificas properabit alto
Mutare Olympo: tunc Pater integrum
Amplexus, imi pectoris abdita
Docebit, expromens profundi
Consilii potiora jura.
Pleno reposti pocula nectaris
Ducet labello: ridet inanibus
Nos rebus affixos, doletque
Mole premi thalami parentem.
Ohe solutos qui bene, Numine
Jubente, manes carcere dimoves
Piaculari, magne custos,
Atque Dei benefidus idem

Obviam spectes, tulipamque dices,
Aut rosam, aut cultis hjacynthum in hortis.
Audies; mollis cytharae aemulari
Murmura credes.
Nulla se flavos simulare crines
Dextera; aut lenes oculos, genasque
Speret; haud tantos lapides Saboea
Terra ministrat.
Myrrhei sordent latices, odorque
Nullus est nardo; simul illa nares,
Quam suo Virgo bene fundit ore,
Percolit aura.
Una componit benefida vultus
Virgini virtus: Superum beata
Adsidet mensis, homini et negata
Pocula ducit.
Oh mihi felix trepidisque liber
Spiritus curis: mihi si per atros
Aequoris fluctus, hyemesque iniquas
Fulserit illa!
Illa complexu trepidum tenebit;
Bella si quando meditatur Orcus:
Illa per nugas animi vagantis
Flectet habenas.
Sentiet compar genus, et nepotes
Aequa poscentes; pietas movebit,
Qua laborantum precibus vocata
Vulnera fovit.
Diva, Syrenem trepidare sentis?
Hostium hinc urget furor, inde Ditis:
Agmina hos terrent; propiore tu illum
Numine pelle.

Qua te vi poterat Cantaber et Scytes,
Qua re vincere Pannonus,
Et nulli macedo ante domabilis,
Aut Gallus subito impetu,
Quando, Roma, genus grande Quiritium
Matrem ceu soboles suam,
Toto deperiens pectore, pro focis
Pro latis sua maenibus
Agrisque, et domibus corpora fervidis
Bellantum agminibus dedit,
Et saevis pelagi fluctibus aggerem?
Testis quatuor Annibal
Pugnis, atque decem nobilis, et gravi
Tercentum excidio urbium
Tyrreni dominus aequoris; uberes
Terrae qua medios liquor
Arctis Oceano faucibus additur;
Et quae jam nivibus nitent
Alpes perpetuis, sorte ferocior,
Aeternam capitolio
Cladem jam vacuo praesidio minans
Vastis moenibus et focis,
Totam terribilis intulit Africam.
Horrendis superant duces
Clari vulneribus; pectora liberae
Hi morti sua devovent.
Tu raptam manibus ingemis Annibal,
Romam, ac praecipiti fuga
Faedo tecta metu Romula liberas.
Heu quis perfidus aeneam
Loricam refugit, telaque bellica
Si quando pia principum

Defensura gravi tecta periculo
  Forti pectore languida
Cura ad castra manus cogere nititur,
  Qua caro queat otio
Mater cum teneris sub lare filiis
  Multo dividias patris
Quaesitas studio apponere gaudio?

IN AEDES NEAPOLI STUDIIS DESTINATAS

ODE XV.

Non si beatos Parthenopes lares
  Tenet voluptas, turbaque mollium
    Jocosa ludorum, Penate
      Docta carens Jove nata oberrat,
Extorris; almae grata Neapoli
  Quae dant benigna munera dextera
    Musae; nec extantes per altum
      Pausilypum segetes, nec herbae,
Quaecumque ponto proxima parturit
  Palus, nec undis abdita piscium
    Tam grata proles, quam sororum
      Aonidum soboles amica;
Seu mulcet aures carmine, seu pede
  Nectit choreas; aut melioribus
    Scrutator auras, et polorum
      Signa notat numerosque curis.

Testis patenti nobilis ambitu
Sedes, vagantes quae penetralibus
Amplis et aeterno camoenas
Hospitio recreare gaudet.
Non tanta pictis molibus ardua
Se attollit aedes, quam sibi regiae
Struxero dextrae, qua quietos
Corda dies agitata ducant:
Nec talis altis arcibus horrida
Minantur astris moenia, bellicis
Horrenda tormentis, tonantes
Queis alit Alipedes gradivus:
Qualem virorum mentibus hospitam,
Quicumque Phoebi munere fulserint,
Insitato more ad astra
Ire videt varioque Siren
Ridere saxo: scilicet ingeni
Vires et acri lumine dexteram
Vocata Fontanae regebat
Pallas, Apollineusque nutus.
Solers alumno semper adest Deus,
Artes ministrans: pectora largius
Nunc afflat attollitque mentem,
Cum statuit penetrale natis.
At tu juventus Pausilypum sacro
Penate muta; si numero locus
Docto carebit; nil polita
Saxa juvant, patulique postes.

DE SS. NOMINE JESU

ODE XVI.

Rursus minacem bellua verticem
Inferna tollit; bellaque non prius
Audita commissura late
Corda novo furiat tumultu.
Quae non juventae praesidio potens
Licentiosae regna laboribus
Tentat secundis? heu quis aras
Impavida prohibere dextra
Speret, nefasta quin temeret manu
Audax duello sacra lacessere
Vexilla vulgus, dum paterni
Haud patiens juga ferre moris,
Terris negato consilio nefas
Judex honesto separat insolens,
Legesque figit, Vaticano
Arbitrio incolumi atque ritu?
Ergo parentum labe nova gravis
Recurrit aetas; foetaque parturit
Quae monstra nec serus Britannus
Vidit, Hyperboreique campi,
Cum dissidentem moribus impiis
Honore pacto destituit patrem
Princeps Quirinum, Thaeniaeque
Grande sibi decus arrogavit.
Haec te vagari principe nunc sinis
Inulta, Jesu? quin iteras nova
Jam clade vesanos, gerisque
Praelia postgenitis canenda?

Inscripta tanto nam simul aethere
Mox signa fulgent nomine, fulgore
Sequente, proh quanto coibunt
Corda metu! prope qualis auster,
Qua lambit undas Inarime cubans
Aves ab Afris propulit advenas;
Sic fratrum acervantur ruentum
Agmina cum duce pervicaci;
Reditque virtus, qua tibi debitae
Gentes avitis pectus amoribus
Reddent, et abductas rapina
Difficili exuvias reponet
Templis sacerdos. Scimus ut ad specus
Olim nivales emicuit cohors,
Cui nomen immortale scripsit
Ogniades clypeis gerendum.
Tumultuosae dum sapientiae
Consultus acri militia sacros
Mutare Luterus penates,
Excidium meditatus astris;
Contaminata cum popularium
Tendit caterva; sed tenuit manu
Forti ruinas ausa pubes
Per medios, duce te, tyrannos
Ferri, trecenis ter licet, et quater
Bellis micarent. Sentiat integrum
Insanientis quisquis oris
Dicta bibit male curiosus,
Adesse robur, telaque principi
Recusa, vires cui superas pater
Permisit aequevo, deditque
Lapsa sua reparare dextra.

Tum te recenti carmine barbiton
Meum sonabit; Pierides negant
Attrita longo temperare
Plectra die, capitique lauros
Usu obsoletas Delius abnuit:
Vatisque in imo corde reflat vigor;
Ne si vetusto dedicatos
Cantu iterum referat triumphos,
Fastidiosis non probet auribus
Siren, recantati haud docilis modi;
Obducet et rubigo nomen
Arte carens operosiore.

CUM ERUMPERENT E MONTE VESUVIO FLAMMAE ANN. 1838.

ODE XVII.

Insanientem iure perhorrui
Sublimis alte tollere verticem
Ad astra, securimque ferri
Praesidio levioris aurae.
Virtus paventem fulmina Numinis,
Et imminentis tela supercili
Custos recondit; iamque maior
Suppliciis bene praeparatos
Virtute componam irremeabiles
Perfunctus annos. Me superum Pater
Expertus haud raro secundis
Temporibus dubiisque rectum

Recondet alis impavidum suis,
Dextrâque firmet: me neque montium
Terrent ruinae, nec caducas
Nocte domos profugus relinquam.
Late tonantem nuper ad igneas
Vesvi cavernas sensimus aethera,
Scindente Patre, et iam recludi
Credidimus, superosque labi.
Proh quantus instat! quanta voragine
Pices profundâ concitat abditas,
Utqumque in obstantes cavernas
Irruit, et latebrosa dextrâ
Tentavit ingens lustra gravi! gemit
Imo refusum gurgite torridum
Flumen, repercussaeque cautes
Horribili tremuere motu.
Ipse irruentes (credite posteri)
Regit favillas, fluminaque, et pices
Ebullientes: qualis undas
Carpathias Boreas, ruinâ
Gravi remiscet lapsus ab aethere;
Et curva pennis littora verberat;
Pontumque, sublatosque fluctus
Indomitus cumulo revolvit
Late rotantes. Volvitur ignea
Per alta montis diluvies, ruunt
Ambusta late rura, et altas
Per silices equitat, ferente
Impune fluctus Numine; quae domus
Ignara caedis? quae penetralia,
Quae tecta cum saxis, herisque
Lethiferis caruere flammis?

Jam civitatem Vesvius igneo
Absumpsit aestu, quod neque perfidos
Amovit ausus, nec scelestam
Composuit malesana mentem,
Numenque cultu cogit adultero
Inauspicatas sumere criminum
Poenas pudentorum, sibique
Fulmineos duplicavit ictus.
Felix nefastos limine qui viros
Amovi amico Numine, sospites
Lares, et intactas perennat
Pax segetes, neque flamma laedit.

SCHOLAE SALERNITANAE LAUDES

ODE XVIII.

Late potenti gente quiritium
Deducte Lirni nobilis accola,
Quae te volantem per cacumen
Pierium mora, quisve lapsus
Tenebit? horror si neque saeculi
Tenebricosi, nec miserae patres
Caedes moratae, quin latebras
Palladias operosiore
Cura subirent? scilicet ut graves
Domus quirini cum Capitolio
Traxit ruinas, et Scytharum
Sensit iners Tiberis catenas;

Late et juventus saeva per Italas
Erravit urbes, templaque et aureas
Evertit aedes, et cruento
Omne sacrum maculavit ense;
Metu reliquit frigida pectora
Phoebus; sepultos sepositi lares
Virum labores, et Camoenae
Dicta gravi tenuere caeno:
Qua pulvis ater, longaque temporum
Fuga ac hiantis stiria fornicis
Corrupta detrivere, frustra
Aonio lacrimante cetu.
Ergo tenebris undique moenia
Squalere vidit Roma; nec alteris
Qua Thusca fervet unda, quaque
Adriaco sonat ora fluctu,
Dies refulsit gratior Italis:
Non ulla Grai carmina pectinis
Mulsere mentes, neve laudi
Socratica micuere flamma.
At te parentem lurida manium
Lustra, et latebras despicientium
Nox atra fugit, et procellas
Oceani vitiosioris
Vitas, ad arces dum ruis ardua
Penna Salernum, quam piget otii
Injuriosi; nec piceni
Ora brevis, viridisque colles
Tenet, profundo quin animo haurias
Quicquid paterni nominis immemor,
Argiva tellus et quiritum
More novo vitiata proles

Fastidiebat : tunc Heliconio
Spectans ab alto vertice, ter manu
Plausisse Phoebus, et canoro
Ore animos bene preparatos
Mulsisse fertur ; sordeat horridis
Semper tenebris et macie cadat
Quicumque vel saevos Gradivi
Mente agitat strepitus, et arma
Cruenta tractat : vel Scythicae dedit
Gentis pudendo colla cadens jugo :
Me corda sublimesque mentes
Usque juvant, animique fortes,
Tam me per altas quaerere semitas,
Quam barbarorum spernere torridos
Vultus, et instantes ruinas
Sanguineo reparare telo,
Multis negatas nunc ego fontium
Opes meorum mentibus arduis
Largibor ultro ; quas olenti
Hirnus alit sinuosus unda.
Illinc nepotes quot feret Hespero
Subiecta tellus, ducere gestient,
Quod corda jam longa retusa
Nocte acuat, revocetque priscas
Artes novandis moribus utiles :
Et ne parentum degeneres decus
Perdant nepotes, per canora
Fila lyrae citharamque juro,
Terram perenni Lympha Aganippidos
Rigabo : nostro numine fervidi
Nunquam Picentina recedunt
Urbe viri, sociaeque musae.

IN OBITU P. JOSEPHI CASTELLI SOC. JESU.

ODE XIX.

Ferocientis quis modus impetum
Lethi tenebit? praecipe noeniae
Tristes, camoepa; temperatas
Fata vetant iterare voces.
Josephus ergo frigidus abditas
Errat per umbras? ibimus ibimus
Omnes inulti, nec genarum
Purpura, floriferique crines.
Tutantur; ungues ut Semel asperas
Arrexit, enses et gravis expedit
Regum timendorum columnas
Temnit ovans Lybitina et hastas!
Jam non juventae vivida vis tibi,
Majorque virtus profuit ingeni
Josephe, te tabes et omni
Arte lues potior peremit.
Qualis palustrem qui bibit habitum
Furente bruma floeculus herbida
Sub rupe, frondosoque Saltu
Mane rigens medio asperatos
Cogit Corymbos, et foliis solum
Natale spargens sterait inanibus,
Sic te rubescentem juventa
Rite nova, subeunte tabe,
Levem per auras tollere pulverem
Inauspicato vidimus omine
Crudele fatum, perque manes
Ferre vagum et latebras Sepulcri.

Surgentem et haedum : quid tibi debeat
Alumna Siren, testis ab Africo
Allapsa saxo qua carina
Cautibus oppositis repellit
Audax juventus; diriguit meta
Mirata puppes oenotria ; et graves
Minor rapinas, et feroces
Ora neces metuit Picenti ;
Sed lapsa vis est : qualis agit vagas
Stridente penna accipiter ruens
Coelo columbas, qualis Auster
Indomitus nebulas fatigat :
Tales cohortes vidimus impias
Cessisse terris : vix capit abdita
Rupes coactas : et frementes
Murmure Parthenopen verentur,
Fortemque pubem : quis Tunetum grave,
Quis dicet ultra Threicios truces ?
Quis arma Maurorum pavebit ?
Quis sibi tuta negabit arva
Custode tanto agmine ? civicas
Ne pone vires : seu placet aequore
Errare ; seu turres tonante
Aere gravis reparare pubes.

DE VI SACRI IMPERII.

ODE XXI.

Non me vis feret altior,
  Dum fidens animis asperioribus
Audax omnia vincere,
  Dictanti renuam tendere flamini
Aures indocilis Dei:
  Pronus quod placeat ponere, perferam;
Si tanta imperio subest
  Vis, quam vel silices astraque contremunt,
Cum rure, et pelago, suo
  Devota arbitrio: scilicet ut semel
Audita ex Capitolio
  Vox quae per populos dissociabiles
Hortatura animos sonat,
  Exciti renovant pectora, plurima
Prompti jussa facessere.
  Atqui non vario aere rigentia
Instant agmina, nec truci
  Stipatus dominus fata satellite
Detrectantibus intulit:
  Genti vota tulit pagina liberae:
Non auro et pretio preces
  Emptae; tota libens plebs sacra supplicat;
Detestata furentium
  Ausus terrificos, murmur et urbium.
Vester caelicolae vigor,
  Vester Romulei principis arduos

Natos prosequitur fovens :
  Per vos Roma viget : vos regitis sacra :
Vestro munere vividum
  Quicquid Romuleus ponere Pontifex
Instat corda potentius
  Ictu fulmineo subruit atterens.
Petro talia credulo
  Jesus pollicitus : jam tibi siderum
Imorumque tremendum
  Omnis subdita vis : serviet horridus
Orcus cum genere impio
  Quod nobis genitor supposuit , tuo
Flectendum arbitrio : tibi
  Nostrorum omnis adest copia munerum.
Illos ut libet inferes
  Astris : his cohibes brachia vinculis ,
Detrudesque Erebo ; nihil
  Flectentem impediet : flumina , sidera
Urbes, pectora seduli
  Flectent Aligeri ; sic placitum mihi :
Ut tu cumque jubes , tuo
  Nutu quidquid habent agmina virium
Aeterna urbibus inferent.
  At tu qui capiti debita principi
Aptas serta tuo , procax
  Mutare Hesperiae jura licentius ,
Laeta sorte ferocior ,
  Patri Romuleo praelia comparas ,
Ridens arbitrium et minas :
  Coelum perfidia jam petis: irrita
Coelo bella paras : faces
  Truncosque Enceladi spiculaque in Jovem .

Cæco Porfirii impetu
  Insanus sequeris : mox simili miser
Sternendus tonitru, tuis
  Pies magna metus causa nepotibus :
Quos fato miser edoces
  Cæcam quanta manet poena superbiam

CHOLERA MORBO RECEDENTE.

ODE XXII.

Ite jam curae procul, insuaves
  Illico absistant latices; poetla
  Ponat atratam tunicam, per urbem
    Taeda coruscet.
Defluit coelo male sanus humor,
  Tabuit quo gens modo; floret aer
  Fervidus; stratum recreatus aeger
    Linguere gestit:
Qualis in campo seges, arboresque
  Explicant frondes, glacies ut alta
  Solvitur miti Zephiro, solamque
    Temperat aura:
Quale et effrenum pecus hac et illac
  Cursitans ludit, lupus ut parentem
  Deserit caulam, reseratque tutus
    Limina pastor:

Haud secus Syren modo moesta ridet,
Ut per Aegeas procul egit undas,
Seu notus, seu qui venit ardor astris,
Spicula tabis.
Apta non sedes ubi semper aeres
Haereant morbi, bene quam precati
Coelites servant, propriamque rector
Fecit Olympi.
Grata Syrenis pietas, fidesque
Numini: hic ignis rutilat per aras
Vividus, qualem Petrus ab sionis
Attulit oris.
Tangit interdum Deus obseratas
Excitans aures; memor at paterni
Pectoris mox, quae doluit dedisse,
Vulnera curat.
Ut leves primum resoluta crines
Lacrymis Syren madefecit aras,
Annuit votis, maciemque ridens
Distulit urbe.
Ergo quid cessant citharae rigentque
Dexterae? quid non lyra, nabliique
Personat dulcis strepitus? Quid ultra
Moenia squallent?
Non ego haec ultra patiar, calente
Gaudio vena; rigeat jocosa
Si quis haud fundat super impetratam
Verba salutem.
I, puer, sacrae cui cura sedis
Credita, incomptos age, cinge sertis
Nunc gradus arae, neque multa desint
Stragula terrae.

Infesta egenis flamma ; perarilur
Jamdudum egeno fertilis hospiti
Campus, laborantis petentem
Gaza manum fugiet resorbens
Quamcumque adusto diripiet penu
Vulcanus : ohe limina sospites
Servate, manes, si per aedes
Forte meas, latebrasque sylvae
Erratis : atras illico distulit
Cedens ruinas flamma : reponitur
Sic quidquid haud dura volenti
Abstulerat pietas rapina.

IN NUPTIIS FERDINANDI II UTR. SIC. REG. CUM M. THERESIA AUSTRIACA.

ODE XXIV.

Regius princeps iterum maritus
Conjuge Arctoa repetit Penates,
Quo domus thaedam pia luctuoso
Carmine mutat:
Sume nunc plectrum studiosa pubes,
Missa quae ludo vaga feriaris;
Dic modos, per quos nova Ferdinandi
Gaudeat uxor.
Tuque quid cessas? age fida Syren
Aureos nodo cohibe capillos ;
Si tibi regina recens quietos
Attulit annos.

Oressus insanum caput occulisse
Gestit, audaces meditatus ausus
Hostis; occultae cecidere fraudes
Iraque civis.
Non leves illi comites amores;
Nec procax Hymen sequitur minister,
Qualis innuptis simul et maritis
Blandulus adstat.
At gravi Mavors galea cruentus
Hinc adest, atque hinc metuenda Enyo
Ense; pro theda Venus allaborans
Spicula praefert.
Spiritum belli pater, atque pugnae
Regius mentemque dedit gradivi,
Quem juvat Gallos agere, et feroces
Agmine Mauros.
Spiritus Virgo docilis paterni
Oderat myrthum fragilemque calthum;
Oro colo pugnax digitis sagittas
Aptat et arcus.
Qualis ad ripas Tiberis Camilla
Agmina, aut dura Tanais per agros
Egit obstantem Arpalice catervam
Impigra ductrix:
Haud secus, Syren, tibi sponsa fulget
Regia, ut longa residem quiete
Excitat Martem validumque Orinceps
Congregat agmen.
Liberos cernes volitare crines
Aura quos lenis feret, ut lupato
Vecta equo campos, similis sagittae
Fervida pulsat.

Tum dabis laurum capiti, et madentes
Linteo siccas tenui capillos;
Grande nunc aurum dominae, et decoram
Prome coronam.
Tu modo saevam faciem gravemque
Exue obtutum face digna amoris
Virgo, dum Syren tibi blanda ludit,
Mitte minari.
Lenis adridens cape dona, plena
Quae manu fudit thalamo pudico
Gente cum laeta Lisabetha, rapto
Atra marito.
Seu placet fessum latus inter herbas
Ponere, balantes tibi sternit agros
Qua levi se Pausilypus per auras
Culmine tollit.
Seu juvant lymphae facilesque succi
Grata Bajarum tibi stagna manant;
Gratior sed te pithecusa, et Aegles
Saxa fovebunt.
Est ubi leni Sinuosus unda
Arva Sebetus rigat; hic jocosas
Si libet, Nymphas canere, et choreas
Ducere spectes.
Est et ignita metuendus arce
Vesvius, sed te veritus capaci
Abditas fundo tenet, et frementi
Corpore flammas.
Vive jam Regina, ubiqumque mavis;
Sed tibi felix, socioque vive;
Sis tuae gentis columen, gravisque
Meta laboris.

Arma, cum conjux furibundus agmen
Ducet, ut stringat merita catena
Impios ausos temerare leges,
Martia tractas.

AUCTOR DE SUAE VITAE INSTITUTO.

ODE XXV.

Summo pauperis ordine
Aedis sepositus, mente faventium
Affecto superum domos,
Ducens haud timido pocula gutture,
Quae laetus mihi temperat
Lapsus sidereis arcibus aliger:
Quo vultus melius nitet,
Quam si Borbonidum me recreent dapes:
Nam nec quid tumidus paret
Regnator populorum, aut struit invida
Cura cultor Apollinis,
Dum laurum capiti praemia carminum
Affectat, popularium
Immunis studio quaerere motu um;
Clara pauperie potens:
Quod si Pierias musa benignius
Undas ingenio adjicit
Non me Pannonicas qui moderamine
Terras temperat arbiter
Jam vitae capiet munera largius.

Sed quae pectora saevior
  Urget cura ? meo quae subito fluit
Ultro lacryma lumine ?
  Et ploro et doleo ; scilicet excitat
Occurrens animo puer ,
  Omni quem lamia saevior et strige
Nuila jam sapientia
  Firmum surripere , et tradere manibus
Perdendum mala sontium
  Conatur soboles pectore conscio.
Divina memor advolo
  Servaturus ope ; et sollicitus moror
Fraudes desipientium ,
  Magnarum haud metuens fulmina frontium:
Qualis siderea edomo
  Imos saepe lacus dicitur aliger
Adnare , et valida manu
  Non tentanda homini pellere limina ,
Quo raptas animas polo
  Expertes sociis sordibus inserat.
At me pallida desidem
  Sedes non retinet ; fluctibus impiger.
Foedis expediam pedes ;
  Et tutam repeto sedulus aream ;
At tu , Pamphile , quid manes ?
  Quid non me sequeris ? protinus occupat
Caenum ; tum petis invidus
  Quam praebent facilem nunc superi fugam.

IN DIVUM IGNATIUM LOJOLA.

ODE XXVI.

Quale portentum pedibus fatiget
Imminens vultu Ogniades minaci,
Crine quod sparso riget atque vasto
Oris hiatu:
Territi quaerunt pueri magistros.
Hoc gravi dudum labefecit ictu
Cum manu in sontes valida ruebat
Numinis ultor.
Audias bellum puer, atque Princeps
Manium, in coelum meditatus ausus
Impios diro voluit duello
Perdere gentes.
Ille ceu caeco lupus e cubili
Excitus ventris rabie aut leaena
Quae dolet raptis catulis nemusque
Saeva pererrat.
Voce Riphaeas tonuit per oras
Horrida, ut late renitere vidit
Signa, queis gentes iterant, regente
Sidera Jesu.
Audiit monstrum, timuitque Rhenus;
Audiit longe Padus, et remotus
Ister, et vinci haud facilis Bjitannus
Praehnit aures.
Belga se sensit quoque, Pannonusque
Subjici, et Galli timuere leges
Impias, quamvis sacra mille firment
Limina claves.

Te quoque horrendo tremefecit ore
Roma ; Tarpejae tremuere turres,
Et suas vidit prope Vaticanum
Cedere sedes.
Major humanis malus hostis ibat
Praeliis, multa tumidus ruina,
Quod sacer bellum fugeret senatus,
Viribus impar.
Audiit tristes gemitus ab alto
Quo sibi infestus latitabat antro
Ognias, postquam prope funerarat
Fulguris ictus.
Audiit sacros rapiente lucos
Agmine everti Stygio, puellas
Debitas coelo, vetita arrogare
Lege maritos.
Quid moror dixit, latebris in altis
Quid piger cesso? valeant recessus;
Otio, si nos inimicat Orcus,
Praelia matem.
Impiae miles novus ipse pugnae
Debeor; non hinc sine lege inultus
Qua libet raptor furiata repens
Pectora vastet.
Non mihi rursum opposito minaci
Aggere, et muro Cunei movendi,
Glande quem Gallus male sulphurata,
Sternat et igne.
Armiger coeli superis merebo,
Et laborantes teneam choortes
Quas Quirinalis Pater in furentem
Instruit hostem.

Me poli virtus sequitur ministra;
Anteit tutans vigor ille fortis
Sternere obstantes acies Averni
Regnaque Ditis.
Qualis Assyros Solimaeus olim
Perculit Princeps, Danaumque in agmen
Egit audaces ruere inter ignes,
Telaque turbas:
Talis Hispanas animosus oras
Liquit, ingentem Ogniades catervam
Quam piis dudum monitis coegit,
Undique ducit.
Quantus in saevas metuendus iras
Ditis exarsit! qoibus oh frementem
Ore Lutherum, sociosque dictis
Perculit ausus!
Signa per campos lacerata Daunus,
Aereas hastas Bathavus Garumnam
Volvere, et ponto tumulata vidit
Corpora Thule.
Impetu semper sequitur recenti
Fortis occursu Ogniades; inani
Saevit assultu fera turba donec
Redditur Orco.
Adfuit tanto recreata bello
Laeta victori pietas, et ausum
Temperet, dixit, requies: merenti
Praemia cedant.
Lucida extabis ruber inter astra;
Qua Petrus fulget, sociaeque turbae,
Hic tibi monstrum veniens in aevum
Serviet uni.

Quem premes olim pede, quum puelli
Fictilem ponunt memores in altis
Aedibus; sed tu doceas in Orcum
Bella minores.
Dive si monstrum in stigiale regnum
Creditum coelo tibi, patre tabem
Editam tali, sociosque calce
Protere morbos.

IN D. FRANCISCUM DE HIERONYMO CUM SANCTORUM ALBO SCRIBENDUS ESSET.

ODE XXVII.

Nondum supremo culmine constitit
Franciscus arae, quo sacer hostia
Majore donat, et corona
Tergemina decoret Sacerdos.
Tuo ne honores immemor auspici
Tu destinatos, Partenopes, adhuc
Differs, querelarum nec ullus
Corda subit pudor, et paratos
Choros moraris? Ter Capitolium
Sacro per urbes increpuit sono,
Cietque gentes, quo merenti
Indigeti statuantur arae.
At non dolentem talis erat modo
Heros in urbem: scimus ut effero
Timenda vultu per paventes
Irrueret mala pestis aedes;

Trahens ad imas cum sene tabidum
Umbras juvencum, mixtaque Principum
Commune cum vulgo sepulcrum
Corpora funereis carentum
Thaedis teneret. Non tibi commodae
Artes medentum, nullus et utilis
Ususque succorum, latexque
Paeonius, neque missus Indo
Pulvis juvabat: tum popularium
Petita fido pectore munera,
Seu pars favillae, sive strati,
Quod cineres reliquos, et artus
Quos non vetustas, blattaque carpserat,
Alto repostos sub lare textile
Custodiebat, dante Coelo,
Tabificos tetigere vultus.
Qualis tonantes ut dedit igneus
Voces per urbem fortior aggredi,
Quacumque subrepens Averni
Saeva manus vitiaret atro
Mentes veneno, distulit impotens
Domare culpas, nec stetit abdita
Per angiportus et mariti
Foeda Venus dubii cubili,
Urgente Divo vocibus undique;
Talem fugacem cedere vidimus
Tectis in undas, et marinos
Per scopulos latitare tabam,
Utcumque sacro pectora frustulo
Muniret aeger, et prece plurima
Supplex laborantis vocavit
Subsidium, columenque vitae.

Ergo per aeae cornua cereae
Thedae coruscant : nos quoque fictilem
Sacramus , ornatumque pictis
Linteolis paries cavatus
Vultum capaci fornice condidit
Quem nunc et olim , dum licet , annuis
Donamus hymnis , si Camoenae
Sint faciles , validaeque vires.
Tuae merenti munera dexterae
Deernnt , et atrum dura teredine
Squallere , inornatumque in aevum ,
Partenope , patiere signum ?
Obe vagantes ne pueros fores
Clausae morentur : da tenuem manu
Stipem libenti ; parva praebe
Aera semel , mereasque Divum.

SCHOLAE PERICULUM DEIPARAE OPE PROPULSATUM

ODE XXVIII.

Vincimus celsumque iter expediti
Quo sacras Phoebi penetremus arces ,
Ante quam verno calet aura sole ,
Rite tenemus.
Quis moram ponit pedibus , quis ausus
Impedit laetos , animospue frangit,
Si modo alteruis precibus vocata
Virgo tuetur ?

Scilicet magno tremefacta motu
Moenia et fulgens radiis lacunar
Virginis nostras subeuntis aedes,
Signa dederunt.
Subsilit tellus, dominaeque prona
Plaudit : atratam radiatus aer
Excitat mentem trepidosque vultus
Flamma colorat.
Ergo natales repetent cavernas
Illico manes, sobolesque Ditis
Nuper insontem temerare bello
Ausa juventam.
Qualis instabat miseris ruina !
Quantus exarsit furor, heu ! trementes
Vidimus vultus ducis, et propinqua
Fata verentis !
Non minae nobis hominum, nec arma
Non Dei nostris vitiis iniqui,
Ira, sed pestem meditantis orci
Bella nocebant.
Namque ut antiquum rediisse sensit
Ordinem, per quem melior vigeret
Vita quam vellet tenebrosa flammis
Perdere lustra :
Spiritus summis malus actus astris
Mugit, et nostras metuendus astu
Repsit ad sedes, ut amata cornu
Otia turbet
Quae laborantes relevaret artes
Cura, quis mentes gelidas foveret ?
Tu potens Coeli veteri catenas
Injicis hosti

Qualis ignoto stupuit Canopus
Impetu sterni simulacra, et aedes
Aureas labi simul illa Memphis
Tecta subivit:
Talis aeternae data praeda flammae
Turba decedit, vacuamque voces
Irritas jactat fugiens per aedem
Astraque damnat
Quod si ab insana rabie malorum
Hostium virgo prohibet clientes,
Cur mihi contos acuam, aut potentum
Praelia poscam?

IN CAROLUM CARD. ODESCALCHI CUM NOMEN DEDIT SOC. JES.

ODE XXIX.

Adhuc calescunt pectora coelicis
Humana flammis, astraque respicit
Scandenda mortalis, Deique
Cura tenet studiumque Coeli?
Ergo dolorum desinat impius
Quicumque leges non violabiles
Mutare terras, et recenti
Corda jubet residere ritu.
Quibus catenas injiciant truces
Manes et imo destinet arbiter
Æternus Orco, dum proterva
Jura negent dare tabe foedis,

Locum per ethram si potuit sacram
Late nitebat qua modo, purpuram
Deponere ultro, et consulentum
Concilium Carolus Quiritum
Relinquere, altum si neque detinet
Genus parentum, nec domus et placens
Frater, resignatasque liber
Temnit opes Latioque magnus
Excedit exul et Capitolio:
Quae cura rerum speseque morabitur
Ultra volentes quin per auras
Ætbereas superos, vocante
Jesu, adsequamur? tectane fulgida
Ultra extruemus, aurum et inutile
Custodiemus; nec securi,
Si rapiet manus una parcet?
At hic decorum sirmate lineo
Insigne mutat; tum penetralibus
Domum latebrosis, levemque
Pro procerum sociat senatu
Turbam juventae; illic amat otio
Cessare longo, aut flumine sordidas
Purgare mappas, et reposta
Crustula ad arbitrium severi
Servare promi, cernet et indignm
Errare circum compita dextera
Verona porrecta, stipemque
Ore pios humili adprecari.
Dicetque: regnet, juraque gentibus
Det Roma princeps; nil sapientiae
Non debet orbis; qui caducam,
Quam ferat aura levisque ventus

Fortunam et ostrum spernere numine
Auctore discit, celsior imperet ;
Hoc more si romana fingit
Lex juvenum ingenium, senumque,
Ut magna possint temnere munera ;
Altas et aedes cum lare pauperum
Mutare, divinas Quirino
Jure canunt domino esse vires.

CUM A GALLIS OPPIDUM ULLOA IN AMERICA EXPUGNATUM EST.

ODE XXX.

Non si recenti pectore Martii
Vigent furores, bellaque prospero
Tractatis ausu, militaris
Vos timet Americae cohortes,
Europa : virtus spirat adhuc vetus,
Vigorque fervet pectore vividus
Quo saepe vires, et moventes
Bella animi cecidere, et alma
Quaesita sacris pax venit urbibus.
Inospitales in Canadas rudes
Jam ferte conatus : phalanges
Quas Rhodanus, Ligerisque mittit
Cavete inani Marte lacessere :
Praestat quietam foedere nobili
Vitam pacisci, quam paternos
Vertere dissidio penates.

Testis ruina difficili modo
Ulloa stratum, dum furor impetus
Gallorum et invictas carinas
Adpetiit male temperatus.
Quanto strepebant pulvere torrido
Turres, quot altis moenibus aeneae
Emissae inundavere glandes!
Quo tonitru micuere bombi!
Sed quid ruentum in pectora libera
Tormenta possent? hinc stetit igneus
Audinus, et perire fortis
Bardinius, facilisque curvas
Torquere puppes, quo vocet agmina
Vis praeliantum saevior hostium,
Quid Rhojus, atque haeres paterni
Consilii juvenis, novusque
Cultor Gradivi? Qualis in herbida
Palude taurus, quam Clanius rigat
Primas lacessivit juventa
In bubalos stimulante pugnas:
Talis regendorum haud rudis agminum
Visus biremi temnere turbidas
Undas, et instructas tonanti
Aere rates penetrare, et ignis
Securus altos ter quater ictibus
Pulsare muros, non veritus globos
Circum rotantes, et ruinas
Terribiles volitante flamma.
Ergo subactam te premet ardua
Jam lege Gallus, teque tenet jugo
Tenaciori, Mexicana
Mitte minas iterare tellus.

FACTA EST MULTITUDO CANENTIUM, ET LAUDANTIUM DEUM.

ODE XXXI.

Orpheum quisquis cithara canentem
Niteris docto simulare plectro,
Mitte iam cantu, puer, insolenti
Pellere nubes.
Cernis obscuro choreas sub antro
Ducere, et castis resonare musis
Lustra caelesti modo missa ab aula
Agmina Divum?
Perge spelaeum subeas remotum,
Audias blandae numeros cicutae:
Scilicet plectri melioris illa
Edocet usum.
Iure mortali assimulanda vati:
Seu canit saeclum melius recudi,
Et laboranti nova iura mundo
Ponere pacem;
Saeva qua tandem cecidisse bella,
Heu! nimis nostro satiata fletu
Sentient gentes, Erebique monstrum
Ferre catenas;
Sive pastorum vigiles catervas
Excitat, noctis properent perumbras
Ire, quo divum breve vagientem
Colligit antrum:
Aura festivos numeros superne
Temperat: quantis, quibus ah fatigor
Gaudiis! ah nox mihi iure praeter
Mille beata!

Talibus nunquam per amoena mollis
Arva sirenis strepuit susurris
Aura ; Mergellina licet Favoni
Sibilus afflat :
Scilicet chordas bene temperatas
Tangit, argutoque tubas labello
Tortiles inflat, Superis magistris
Docta iuventus.
Quid mihi cantus, citharasque Phoebi,
Quid novem iactas properata Musis
Carmina ? indigno nimium superbit
Pindus honore.
Cessit antiquae mihi laus Camoenae,
Talis ut nostras penetravit aures
Sibilus mulcens, Sonuitque motus
Vocibus aer.
Dulce quid maius genuere colles,
Aura cum mollis gravidas Favoni
Perculit fruges, tumuitque flavis
Campus aristis ?
Murmure hic dulci violae susurrant,
Quas levi findit citharoedus arcu ;
Accinunt nervi, lituosque blanda
Cornua miscent.
Haec mihi optati species Olympi ;
Hic choris Divum videor subesse ;
Hic quies, hic pax mihi parta. Molles
Ite Camaenae.
Ite, vesani studeant poetae
Aemula vestras simulare nugas
Voce, me tali dabit ista cantu
Silva beatum.

LIBER TERTIUS

DIVINORUM BENEFICIORUM MEMOR AUCTOR, SERIS TANTUM ILLUSTRANDIS ADLABORARE DICIT.

ODE I.

Non me castra juvat dicere, nec graves
Iras, et socios in fera praelia
Reges, nec strepitum per fora curruum,
Dum plebs densa ruit vis re mobilem
Pubem quadrijugos inter, et orgia,
Aut quos instituunt ordine splendere
Longa nocte faces, dum reficit nova
Jampridem vacuum conjuge rex torum:
Nec quae Pausylipi vertice incdito
Floret, laeta meos herba mercbitur
Versus; vel prochites vina potentia
Curas eluere, et reddere spiritum
Quem tetro attenuat vesvius halitu.
Queis sit grata dies tardior otio,
Aut longis cumulos tollere patriae
Arcae divitiis dulce, vel arduos
Nomen per titulos tradere posteris,
His illa, ut cupidis luminibus petant,
Olim cura modis dicere plurimis.
Sed me non similem tangere barbiton
Expers vita vetat purior invidae
Artis, nec gravibus apta laboribus

Queis multae veniunt divitiae, et dapes,
Et lusus veneris commodus ignibus :
Ergo faeta Deo mens jubet hospites
Divos non humili dicere pectine,
Quos aedes gravium proxima munerum
Custodes posuit, cordaque lusibus
Addicta Aoniis ducere sedulos,
Ne quando variis picta coloribus
Cautis, vel viridis limpha Aganippidis
Abducat nimium currere fervidos.
Sed quo corda calent integra spiritu ?
Quis vires animo, plectraque sufficit
Dextrae ? Palladii non satis utiles
Ignes, his tumidum pectus Achillei
Erroresque vagi dicet Ulissei
Olim Moeonides, aut tua juverint
Cum campos caneres pectora Virgili.
Impar Aethereis pecten amoribus
Humanus, neque qui certat Apolline
Divum facta loqui praemia duxerit.
O qui corda hominum pectore proditus
Aeterno, tacita lege foves, vigor,
Afflansque insolitas addere mentibus
Gaudes saepe faces, si tibi serviet
Olim musa canens quae duce gesserint
Te Divi, et memorant grandia Numinum,
Lentis consilium tu modo votibus
Adsis : ingenium si mihi sufficis,
Sensit quale puer jessiades, graves
Dum curas regeret carmine principis
Gratus Caelicolis, si tuus occino,
Dicar Maeonio promptior alite

Divum non solitis ora coloribus
Clarare, atque polis addere sidera.
Jam jam corda tument, jam jecur uritur
Flammis, Aura vagum me capit alitem :
Non humana canam ; vos date pectora.

IN D. FRANCISCUM DE HIERONIMO.

ODE II.

Coacta summo purior aethere
Si cingit aer nubila frigidus,
Dum quidquid evagatur undae
Per liquidum Boreas fatigat :
Tumultuoso dissilit impetu
Elisus ignis, quem socii vagum
Sorbent vapores, et frequenti
Aethera concutiunt tonitru:
Quo celsa late culmina montium,
Urbesque et altae per sata vineae,
Cum turre vicinoque ponto
Terribili tremuere motu ;
Tali micantem per fora fulgure
Audivit ima fronte Neapolis,
Mirata Francisci prementem
Omne scelus vitiumque linguam.
Non ulla egenum murice scilicet
Distincta cingit purpura : laminis
Actos acutis et flagellis,
Sanguinea laceros catena,

Fatigat artus : mollia serico
Non tecta velo strata fovent domo
Ampla receptum , nec labore
Longo animos studioque fessos
Dapes reducunt : purior eluit
E fonte siccum lympha : furentior ,
Seu saevit aestus seu pruina
Terra riget , Boreasque torret.
Silentiosi cultor et otii
Alte latentis non tenebras domus
Odit , nec obductum vapore
Putre solum macieque tectum.
Illic profunda nocte reconditus ,
Occulta dictat quae sapientia ,
Omni expeditus cura , in ima
Mente locat requietis expers.
Nec si canoro turba faventium
Collecta circum murmure perstrepit ,
Delenit aversum ; at superbos
Nominibus proceres avitis
Gemmisque et auro sollicitus cavet ,
Casis amicus , et popularium ,
Maligna qua fortuna saevit ,
Gaudet adire humilis tabernas.
Ergo profundo quos animo semel
Concepit ignes , nil veritus minas
Trucesque vultus , et lacertos ,
Terrifico jaculatur ore.
Nam quis procaci foeta libidine
Tenere tentet pectora ? quis manus
Ad arma pronas , et latentes
Corda hominum meditata praedas

AD ELOQUENTIAM

ODE III.

O quae profundo edita in aethere
Coaeva patri progenies, tuam
Servas per aevum vim, recensque
Usque viges facili juventa:
Olim creantis nuncia Numinis
Gravi tonabas per liquidum aera
Sono, pererrantesque moles
Difficili e cumulo ciebas.
Nondum repertis quo species adest
Jam multiformis vitaque multiplex
Rebus: nec informi laborant
Vortice per vacuum vagantes
Errare moles: te comitem sibi
Addebat ultro lucida sidera
Tellure mutans numen, acris
Indicium haud sine laude mentis.
Ministra magnis consiliis ades
Semper fidelis: te duce dissitas
Terras, et irreperta tentans
Regna, pater subigit Quirinus.
Utqumque vires tu ducibus tuas
Negas, nec acris spicula dexterae
Hosti nocebunt, et quietae
Regna tenent male parta gentes.
Frustra superbi culmina principis
Vis militum circumvolat, et timor;
Utqumque tu stantes columnas
Concutis insolita recumbunt,

Solo ruina ; tu timidae faces
Viresque nulli saepe domabiles
Addis coborti : tu morantes
Sollicitas animos : et omni
Cura resolvis : te sequitur comes
Quocumque pergis vis sapientiae
Fidesque, verumque et severum
Consilium, pietasque et ipsa
Fortuna mutat quae bene temperans
Vices ; at altae triste genus stygis
Timenda proles te paventi
Ore vident, fugiuntque passu
Vago per urbes, atque aditus petunt,
Quos tu severo lumine dissipas
Sternisque, ceu fulmen minores
Igne ferit minuitque quercus.
Gravis videri per trivia et forum
Regina longa gente faventium
Incedis : obstantesque vultu
Impavido removes catervas.
Te pronus ambit sollicita prece
Quemcumque coeco carcere detinet
Vinctum timendorum severa
Ira virum, dubiaeque lances.
Benigna densis lurida sordibus
Tu saepe tergis corpora : tu rapis
Damnata certae colla morti,
Dura potens tenuare legum.
Cum templa vultu non humili subis,
Urbemque acuto murmure personas,
Excitum et a curis remotum
Vulgus adest foribusque sistit.

Cui tu profundi cum bene dividis
Arcana coeli, pectore credulum
Condit, nec incertum sophorum
Quid struit ars male suada curat.
Tum ultuosi praelia pectoris
Sedare fortis protinus advolas,
Si quando pugnantum laborat
Caede forum trepidatque vulgus
Saevum ruinis, et madidum dolis
Inauspicatis: tu subitos subis
Motus: et audaces coerces
Ore manus, animosque frangis;
Ohe precantes grata chorus adi:
Quae te tuorum haud inscia munerum
Suspirat; et multis laborat
Flectere te lacrymis juventus.
Eheu comarum et luxuriae pudet!
Quaesita quid nos forma juvat? rudis
Si Barbarorum more stridet
Ore sonus: dubiaeque voces?

DE FORTITUDINE B. FRANCISCAE A QUINQUE PLAGIS

ODE IV.

Vincam, me licet appetat
Incurrens humeris excita tartaro
Amentis acies gravis:
Tundar calce, premar pondere saxeo,
Altis mergar aquis, tenax

Forceps membra secet, viscera differat
Ferro pendula carnifex :
Nullus me pavidum nec macie videt
Pallentem dare pectora
Corrumpenda malo ; fortius aeneo
Tormento, aut scopulo moror
Contra sanguineae tela superbiae,
Pro caelo haud timidus mori ;
Vincam ; tu inveni pectora roboras
Francisca, atque animum facis.
Quae te non homini horrenda pericula
Quae non adpetiit lues ?
Te sacri lemures, te mala pluriam
Morborum obruit incubans.
In te vipereo dente ferocior
Actus cornua sustulit
Fingens fraude scelus ; quin pater, heu nefas !
Nil natae veritus decus
Nil coeli vetitum, nec generis memor
Communis tibi funera
Immiti imperio comparat opprimens,
At te sustulit obvius
Prona mente deus ; pectora sedulus
Servare hic clypeo tibi
Munit tergemino, suffixit hic dapes
Jeiunae, et decus obsito
Ori lethifera tabe ; coloribus
Sic tu laeta novis viges.
At tu, qui studio niteris arduo
Te secernere inutili
Vulgo, et per superum regna iter altius
Liber tendere funere

Requid Socraticos per tenebras vigil
Scrutari latices studes?
Nec virtus socio tanta Panaetio:
Ares, ut semel hauseris.
Coelis ingenium sat dare credulum:
Mors est terminus omnium:
Nulla spe pereat, cui via devia
Qua sit per superos iter;
Quos inter liceat fine carentia
Totum ducere gaudia.
Nostro sint animo quae deus obtulit
Sacri pocula Liberi:
Haec per saxa fides certa tuebitur.

IN DIVUM FRANCISCUM BORGIAM

ODE V.

Quid te volentem lumine pervios
Adire campos qua latet hospita
Divina virtus impedire
Vincola doles? gradibus per auras
Non si trecenis niteris arduus,
Altis et audax montibus adjicis
Montes, recedentes Olympi
Mente subis operosus oras.
Solvenda dura compede pectora,
Qua nunc coerces non bene gaudiis
Affixa faedis, seu paternae
Divitiae titulique inanes

Premunt et altis aedibus illitae
Auro columnae, seu variae dapes,
Sparsaeque per noctem lucernae,
Et faciles retinent susurri.
Tunc dedaleo promptior impetu
Terras relinques, astraque vertice
Pertingis, immunisque lapsus
Per superum spatiaris aulam.
Hac arte coelum Borgia pertigit
Mortalis; arces cernis ut igneas
Spectat supinus, et perenni
Alloquio Superos fatigat?
Proh quanta aventi se sapientia
Prodit! Taburni ceu juga lumine
Silamque, Atalbulamque inaurat
Phoebus ut aequoreis ab undis
Ostendit ignes; sic calet aethere
Franciscus ultro et lucidus emicat,
Utcumque sublimi beatas
Fixus humi tenet ore sedes.
Liber per auras liber ad arduas
Franciscus oras tendit, ut aureos
Postes et immensas avorum
Lumine opes valet irretorto
Spectare; longus non animum movet
Ordo colentum, tectaque patribus
Regnata, fortunaeque dulcis
Munera amicitiaeque regum.
Atqui parentem detinet osculo
Adulta proles; non factlis tamen
Flecti per obstantes ad arces
Romuleas properavit exul

Quo mens superno lumine fervida
Ducebat urgens, nil cupientium
Aedes et insignes labores
Ogniadum Sociaregandet,
Novusque miles prælia Tartaro
Indicit audax frigora perpeti,
Æstumque, per campos per undas
Carpit iter metuendus orco.
Tu Dive letho si placet eripis;
Metuque solvis pectora; ni manus
Ritu precantum junctæ et astris
Versa pios simulacra fallunt:

IN ANGELUM ANT. SCOTTI. ORTUS ET INSTITUTIO.

ODE VI.

Udam iam pede libero
Spernam praepes humum, et vulgus inutile
Ales, summaque sidera
Tangam non humilis vi sapientiae;
Quamvis ditior haud domus
Me nascentem atavûm splendidioribus
Ornarit titulis, rei
Haeredem variae e sanguine principum:
Dum blanda foveat gena
Spectans sidereo e vertice, viribus
Qui res usque recentibus
Labentes reparat, perpetua vigens

Vita conditor omnium,
Occultaque animos sollicitet face.
Testis vatibus Angelus
Divinis: Danaum callidus abdita
Scrutari, latitantium
Rerum quicquid habent dissita saecula,
Seu quae siderea e domo
Arcano superum dividit artifex
Terris eloquio, gravi
Audax ingenio condere colligit.
Ergo munere diviti
Phoebi, tergemina tempora laurea
Cingunt Pierides, suis
Admisso procerum consilio choris.
Munus Parthenope tuum
Hoc est: tu tibi hospitem ab insula
Altrix excipis, artibus
Formatura bonis. Vim tibi Numina
Mentes fingere munere
Musarum, atque animos acribus urere
Donarunt studiis: tuo
Ut me cumque foves lumine, praepeti
Penna tollor ad arduos
Colles, atque homini non data littora
Tentabo memor alitis,
Quem functum variis astra laboribus
Auctum luce nova tenent.
Quod si fax eadem doxerit abdita
Tentantes animos, patrum
Munus grande itero non piger aemulus.
At tu praemia gloriae,
Antoni, capies: me videt invidus

Quisquis ponere Tullii
  Dicendi studeat iura nepotibus,
Praeluxisse suis satis
  Dicet, dulce sequi quem foret, Angelum

IN EUMDEM: QUAE PIE AC FORTITER IN VITA GESSERIT.

ODE VII.

Auro nitenti non opus infula
  Fulgere, longa aut sordibus obsitum
    Squalere palla, nec reducta
      Aede tegi, socioque certo
Ritu moveri, si popularium
  Fraenare mores, si placet impetum
    Insanientum, et regna Ditis
      Sternere non facili ruina.
Utcumque puro pectore colligit,
  Quos mittit ignes aethere ab arduo;
    Mortale qui fingit fovendo
      Ingenium; docilisque caeli
Ducentis audet quis data spernere,
  Hic digna longo praelia carmine,
    Quo labe mortales avita
      Expediat, Superisque iungat,
Gessisse gaudet: scilicet arduas
  Virtutis arces non sine gaudio
    Tenere vidit, et favillis
      Sidereis, opibusque Divûm

Nitere dudum Parthenope, gravi
Coeno sepultos quos modo luxerat
Mater, profundis et tenebris
Colla erebo dare destinatos,
Agente Scotto. Qualis ab edito
Delapsa saxo per sata, per specus,
Stringente ripa flexuosa
Unda fluit, laticesque late
Effundit; arbor quo tumet obere
Vicina foetu, vis redit herbulis
Siticulosis, atque adunco
Cedit humus madefacta aratro:
Talem per urbem currere devium
Heroa vidit; non tuba concitat
Monstro paventes, sed benigna
Cuncta fovet reficitque lingua.
Videtis? an me ludit imagine
Camoena inani? quae macie horruit
Coquente pectus igne pubes,
Flore novo renovata ridet.
Scottus benigna aspergine recreat:
Cen fonte puro proximo ab hortulo
Collectus, hospitaque sylva
Grex volucrum sua rostra tingit,
Hauritque fluctus guttore, commodos
Mulcere pectus, sic invenum emicans,
Utcumque prodit ille circum
Turba coit, sociumque vulgus
Urget volentem: non sapientiae
Lex consulentis, nec modus auxili
Descriptus; et summos et imos
Una regit cohibetque dextra.

Hanc cum lacessens sidera praelio
Inauspicato, sentiet impotens
Vulgus sophorum, nil loquelae
Fata tuae nocuisse noscet.

IN DIVUM IOAN: FRANCISCUM REGIS: ALLUDITUR AD SIMULACRUM QUOD IN D. SEBASTIANI POSITUM EST.

ODE IX.

Haerere vultu pronus, et ardua
Versare rerum pectore dicitur,
Quicumque semoto laborat,
Labe specu caput expedire;
Tumultuosae non facilis domus
Pati fragorem : tolle manu crucem
Deo cruentatam cadente,
Quisquis amas simulare dextra
Vultus Joannis, et dare posteris,
Quem Lojoleae militiae facem
Dixere Galli dum Forenses
Cum sociis trepidat Velaunis
Adiungere astris vi sapientiae,
Non dura brumae, non veritus nives,
Undasque, et ambages viarum, et
Per dubios penetrare saltus.
Mutet libellis flebile numinis
Signum dolentis; stet solium premens
Altum Minervae, quem jocosa
Mobilium puerum caterva

Sedens acutis auribus audiat
Blande loquentem. Scilicet ardui
Comes laboris quo juventae
Difficiles animos loquela
Lojola flectit, non taciti laris
Odit tenebras, atque graves moras
Franciscus ut quacumque pubes
Advolet, eloquio refingat
Culpa retusam; sollicitus nimis
Fastidiosos, quo liceat modo
Curare, seu quaerant amaenas
Ducere aquas laticesque Phaebi
Altum per Haemum, seu tenui lyram
Tractare plectro, quo numeri fluant,
Non spernit excelsum Minervae
Limen, Apollineosque lusus:
Ut mater inter sedula mobiles
Sedet puellos, nunc reficit dape
Tristes, severo nunc coercet
Arbitrio indociles docetque
Qua lege pectus non bene liberum
Tenere prestet, non aliter regit
Pubem Joannes; quid parentum
Grande genus titulique avorum
Pescat quid aetas firma parum putans.
Nec aestuanti munere coelico
Menti pepercit, quin relictos
Caros amet pueris cachinnos.
Quid mirum amico si modo numine
Juvit juventam, ne tenerum jecur
Sentiret immites rapinas
Telaque non reparanda tabis?

Haeret medullis, et sequitur comes
Viros voluntas, quos capit ultimus
Æther beatos, si benigno
More Deus dederat fovendo.
At quis remotum Pausilypo malum;
Secura quis nunc pectora dixerit?
Tu ne fatigeris juvando
Regie, si tua cura pubes.

DE ROMANI IMPERII RUINA: BONIS ARTIBUS ET VIRTUTE REGNA STABILIRI.

ODE X.

Quae non tremendi perculit impetus
Brenni; nec altis alpibus irruens
Caterva Paenorum, gravesque
Antiochi Annibalisque pugnae;
Tandem superbi vim Capitolii
Sensere belli culmina, et arduae
Arces; et aeterna ruina
Romulidum jacuere tecta.
Atqui nec hastas Perseus intulit
Densas phalangis: nec siculas rate
Turbavit undas et tumultu
Ænotrias tremefecit oras
Regina Nili; nec trepidas meta
Subjecit urbes Spartacus, Aenea
Horrendus hasta; nec sonantes
Aere rotas strepitosque barros

Pirrus coegit ; scilicet Africis
Telis et omni fortior impetu
Fallax voluptas et libido
Gaudet opes aciesque regum
Stravisse : mentes ut semel obruit
Nil non domantis cura pecuniae,
Dapesque nocturnosque quaerit
Omni animus studio solutus,
Errans susurros ; tectaque plurimo
Miratur auro squallida, et otii
Licentiosi pervicaces
Blanditias, sociosque amores ;
Formidolosi Martis Acinaces,
Gravisque thorax : spicula mollius
Tractat, movere dextra tantum
Docta trochum citharaeque chordas.
Ergo subactos non semel horridos
Olim Genaunos et sobolem vagam
Quiris Getarum, ceu Leones
Agna solet tigridumque dira ;
Desaevientum examina caprea,
Expavit, et se Vandalidum jugo
Subjecit ultro ; nec ruentes
Ulla acies potuit catervas
Tenere : summo sed Capitolio
Sedere vidit vertice nobilem
Sponsum triumpho, quo catenas
Sensit avus gladiumque victus,
Matrona : frustra fluctibus insonans
Ciere Tibris pectora nititur
Sopita : dum pugnas parentumet
Grande decus memorat triumphi.

At te jacentem molliter otio
Sentis tumultus, Itale, bellicos
Urgere circum, quos proterva
Consilia, et malus astus urgent?
Et te choreis, te marcotico
Mollis; odores quaeris et indicos;
Cedes inultus, et recenti
Tecta quati quereris ruina.

METAMORPHOSIS AUCTORIS.

ODE XI.

At non inani ludor imagine
Cultor camoenae; quid veniens ferat
Post fata seclùm, dante Coelo,
Edoceor meliore cartha.
Levi solutum si studio haud mihi
Pectus; paternum si generosior
Censum, paratas si jugales
Abstinui sociare taedas;
Si destinatas non tenuis comis
Vatis, capillis saepe perhorrui
Aptare lauros, et faventum
Laude carens mihi notus uni,
Tenebricosi longa silentii
Remotus ultro taedia pertuli;
Nec si quid intactum in pudorem
Saeva struat rabies malorum.

Manus obarmo, nec clypeo leve
Pectus tueri molior; hosticos
Ictus et immites quieta
Dissimulo facie rapinas;
Dies triumphi certus erit dies,
Qua laetus alma rideo adorea,
Qua vincla mortalesque cultus
Fronte nova, specieque muto.
Nulla tenebor compede; flammula
Excedo terris; funera rideo
Expers sepulchri, et per remotas
Disilio celer ignis auras.
Stellis favillis additus aureis
Late cornsco; proxima fulgidi
Jovis, calentis et leonis
Cum Venere, et Capricorno, et haedo,
Tum signa specto; non tenet orbita
Descripta; lapsu nubila libero
Errabo, qua major perenni
Ursa riget glacie; rubente
Qua parte rictu perfurit altera:
Longe vagantem lubrico in aequore
Terram, laborantesque inani
Illinc homines studio tuebor.
Effusa laevi corpore lumina
Longe reductas tangere gestient,
Cum nocte demissa tenebris
Cuncta silent operata, terras.
Forte in remoto gramine pauperis
Uxor mariti sub lare lugeat
Passis capillis, quod vigentem
Mors rapuit violenta natum;

Urgere? cedes, et repetit solum
Natale monstrum : foeda renascitur
Tabes medullis, et medela
Nulla jecur juvat ulcerosum.
Ergo relictos Parthenopes Lares
Doctae sorores, et pater occupent ;
Lateque regnent qua refulget
Pausilypus, vitreusque in undas
Sebetus urget Euboicas ruens
Quiete fluctus, quidlibet audeat
Tentare pubes, dum magistro
Nititur, exiliatque Phoebo.
Non Gallus ultra non Batavus minax
Terrere gaudet Parthenopen ; sua
Se prole tutatur, vigetque
Pallade rite fovente pectus.

IN POMA CEDRINA SURRENTINA.

ODE XIII.

Paucis beato fas mihi principum
Vulgo negatis deliciis frui ;
Quamvis nec auratis potentum
Sub trabibus moror, aut opima
Me mensa regum pascit in aureo
Toro jacentem, qua variis micant
Muri lapillis, perque lycnos
Dispositae trepidant lucernae.

Parvo remotum sub Lare, qua sinus
Campanus atris fluctibus obstrepit
Saxis, fatiscentemque ab alta
Alpe domum Boreas fatigat,
Dulci Deorum nectare dulcius
Pomum benigna mulcet, ab arbore
Ductum, quod Augusti Nepotes
Invideant, cupiatque magni
Regnator Istri. Muneris id tui est
Amoena tellus, jure domus levis
Vocata Sirenis, diuque
Prole vaga celebrata Romae.
Jam non vetustis Thessala vatibus,
Cantata, et alta Maeonidis tuba
Ultra vigebunt culta; frustra
Hesperidum mihi fama jactat,
Hortos, quod alter, dum vetus excidit
Aetate victus, flosculus exilit,
Unusque junctam cum priore
Fratre oculus viridisque ficum
Texere frondes: jam nova patribus
Ignota cantu fas mihi dicere
Miracla, dum rigente bruma
Fronde triplex cedrina pependit
Foetus: vacantem non reficit locum
Foetura; proles tertia vividos
Ramos, et extantes fatigat,
Dum glacie sata cuncta pallent,
Frondes: nepotem ut laetus adhuc avus
Miretur. Ergo non mihi gratia
Quaerenda regum, si beata
Copia forte, epulaeque gratae

Vester, secreti Loyolides, Lares,
Vester labores, duraque pauperum
Vitabo; Surrentina tantum
Me teneant bene culta saxa;
Tum quae Philippo Sequana praebeat,
Quae Ferdinando colligit Appulus
Spernam, nec extremas Brithanni
Mirer opes, Thyriasque gazas.

ALGERIUM A GALLIS CAPTUM

ODE XIV.

Jam patet tellus Libies, et ora,
Quam liquor lambit medius, licetque
Libera littus penetrare, et actam
Nave reductam.
Hanc diu laetis dominata campis
Bistonum pressit soboles, avara
Hospitum gazas rapere, et bipenni
Cedere vitam.
Cessit immanis rabies Gradivo
Gallico, dum se Carolus dolentis
Jactat ultorem fidei atque iniqua
Fata querentis.
Jam nihil fortes valuere turres,
Aenea dudum horribiles favilla,
Impetu ductas meliore naves
Pellere portu.

Qualis in saevos per opaca sylvae
Tela venator calidus leones
Tendit, ut rictus videt et frementes
Oris hiatus;
Talis in Tracas male pertinaces
Impotens virtus juvenum ruebat,
Docta Bormoo duce sulphuratos
Ire per ignes.
Ergo in-adsueto domiti duello
Bistones cedunt, renovata ridet
Magna Garthago, Numidaeque poscunt
Jura parentum.
Occupat sacras nimis exul aedes
Jam redux patrum pietas: Memedi
Decidunt turres, properantque manes
Linquere templa.
Pallas antiquos repetit Penates
Et novat mentes resides; novosque
Excitat Taxos quibus alta belli
Facta canantur.
At quid infando madidos cruore
Ponitis contos juvenes, quid ira
Justa desaevit, nova nec per arma
Praemia poscit?
Cernitis quantum malesanus orbem
Occupat Tracum populus? nec Anglis
Talis est virtus, neque militaris
Russia tentat.
Ite: vos saevi superi tyranni
Vindices dicunt: reparanda tellus
Jamdiu reges minus audientes
Voce lacessit.

Seu placet certo penetrare calle
Agmine objectos Arabas Serasque:
Sive discretum Tuneti per undas
Prendere littus:
Non deest bello numerus, nec armis
Impares vires animusque; cessat
Otio virtus? meritos Canopus
Sumet honores.
Barbaris per vos Padus atque Reni
Accolae quondam caruere turbis:
Ite, jam partis patribus recentes
Addite lauros.

DE ACADEMIA BORBONICA NEAPOLI BONIS ARTIBUS EXCOLENDIS INSTITUTA.

ODE XV.

Inauspicato labitur impetu
Quisquis parentum non bene mobilis
Calles relinquit, et recentes
Mente vias leviore quaerit.
Hac labe foedum plurima saeculum
Turpavit: ultro vidimus aviam
Errare pubem, et roruleuto
Flore frui, balanoquie olere;
Querente dictis asperioribus
Clio per arces Aonias: jacet
Prostrata non levi ruina
Italia, et reparante nullo

Laborat : ex quo conticuit sonus
Lyraeque lusus, qua bene dextera
Tractavit acri cum Catullo
Virgilius, Variusque, et omnis
Latina pubes, destituit calor,
Vetusque lumen Ausoniam, neque
Thaedae per Appenninum, et ignes
Aonii micuere, et auro
Celata tellus : scilicet Alpibus
Olim Getarum non placidum genus
Ruens Quirites jam Minervam,
Dedocuit, rigidaque jussit
Uti loquela : proh Capitolium
Fulgens, et arces semper amabiles
Ferae Quirinales catervae
Cum traheis, rudibusque plaustris
Saltare gaudent : sed tamen irritos
Diffinxit aetas mox melior sonos,
Vocesque inanes barbarorum
Mollit opus melioris oris.
Ergo recentes audiit Itala
Mirata cantus auris, et inclytos
Heroas, atque ausus juventus
Haud humili repetit cicuta.
Quos nuper abstans moribus impiis
Pubes avitis non sine crimine
Turpasset, externos sequuta
Jam numeros male curiosa :
Insanientes ni modo fortior
Fregisset ausus caetus amicior
Musis, et instantes ruinas
Eloquii reparare cautus

Labentis aevi jam senio gravis
Culpa : recenti fronde comantior
Latinus Haemus floret : alter
Pindus adest, Heliconiaeque
Novantur arces, qua vitreis fluit
Sebetus undis, et face torridus
Vesevus agros urit : Arno
Pausilypus, Tiberique certat :
Afflante larga me face pectora :
Sed me juventus Parthenopes duce
Hac lege gaudet, si pudicos
Ore modos minus arroganter
Nutrit : quietas si stimulis aget
Insana mentes, et male libera
Genisque damnabit, comisque
Pierides generosiores,
Absistet ignis, quo calet aestuans
Pectus Camoenae: torpet inertia
Crater, et aeternus gravabit
Corda sopor male foeda culpa.

AD CULTUM B. M. VIRGINIS EXCITANTUR ADOLESCENTES EXEMPLO SINCERI SANNAZZARII PROPOSITO.

ODE XVI.

Cui dabis mentem studiosa Pindi,
Foeta cui pubes paries? benignae
Si tibi vires, facilique pectus
Carmine laetum?

Disce cui debes numeros, ab alta
Laeta dum quercu, redeunte vere,
Virginem Progne canit, et querela
Nota Coturnix.
Virginem leni trepidans susurro
Per cavos rivus lapides; tumentes
Virginem gemmae: variisque picti
Floribus agri.
Grata Sireni pia Virgo; nostris
Vatibus semper numerisque dicta,
Actius postquam bene dedicato
Carmine lusit.
Audias pubes opus, atque amoris
Non novum morem, tua ne dolosus
Vultus, et blandi maleducta sumant
Carmina crines.
Ille mortales juvenis favillas
Pectore expertus, vetitasque thedas,
Dixerat quae mox potiore vellet
Radere mente.
Ille non aequus numeris, suoque
Pectini infestus superis, paterno
Hortulo tectus, veniam precatus,
Vota ferebat.
Flebili tandem juveni sub altis
Mane quercetis, imitata grandem
Virgo Reginam, rutilans in auro
Adstat ab astris.
Non leves, Acti, numeri dolendi;
Mollium si te bene poenitebit
Carminum, dicit, facilis rependet
Crimina cura.

Si nova pectus tibi nunc favilla
Uritur, dum me sequeris polumque,
Excita plectrum, meliusque menti
Praecipe carmen.
Est tibi caelum Superumque longus
Ordo; fulgentes puerum senumque
Sunt chori; hos inter meus haud dolendus
Vate puellus.
Tu mihi o Virgo tremefactus infert
Actius, qua nil melius dederunt
Caelites terris, neque majus ultra
Saecula cernent.
Tu prius nostris opus ultimumque
Versibus posthac; tibi servit uni
Musa Sinceri, mea si quid olim
Nablia possunt
Iam mihi mentis bene crescit ardor;
Sentio numen; viget impotenti
Spiritu pectus, meliora vates
Carmina poscor.
Scriberis caelo genitrix fovente
Tacta; mortalem peperisse terris
Scriberis summi sobolem insueta
Lege Tonantis.
Nuntios per quos didicere faetum
Nobilem gentes; animis repertam
Perditis aram, vacuumque dicam
Litibus orbem.
Tu tuo Virgo faveas Poetae.
Hic tuus posthac erit hortus, ista
Tu Domo regnas, mihi si beata
Panditur aula.

AD GENTES UT JESU FIDEM RECIPIANT

ODE XVII.

O quam remotam terminus ultimi
Coercet orbis, gens male credula
Parere Diti, atque obligata
Immeritis dare thura Divis;
Perjurus ex quo destituit Chamus
Pactis avitum Numen honoribus,
Quo fonte derivata totum
Faeda lues maculavit orbem:
Ecquid Quiriles aequore territans
Excludis objecto, et genus Italum
Odisti, et audito favillis
Vipereis male rapta, Jesu,
Baccharis, hastas qualis, et aegida, et
Belli potentis nomina Caesaris
Olim timebas, et tremenda
Signa fugax Aquilae sequentis?
Non consulares cedere sedulus
Tractat bipennes; nec premit agmine
Subacta victori, nec acri
Jura supercilio tuetur.
Leni paratos imperio regit:
Leni protervos consilio atterit;
Discreta componens ab imo
Parva rapit, sociatque summis.

Ulquumque dulci nomen amabile
Sonat susurro vis popularium
Tumultuosas ponit iras,
Et trepidae recreantur urbes :
Hoc mane ad aram, hoc vespere Virgines
Cantant sub altis aedibus ; huc frequens
Excitum adest, et feriatum,
Excipiet bibula aure vulgus.
Tum quisque cedens sedulus ad dapes
Cum prole certat dicere ; nec thyma
Talem elaboravere Hymetti,
Nec cyathi Thasii saporem.
Quid mirum, ubi hujus murmure nominis
Quaecumque in aegro corde cubilia
Stravere curae, ceu paventes
Lustra ferae nemorosa linquunt
Tangente celsas fulmine populos,
Cessere ; nec jam carpitur ignibus
Pectus venenatis, et omni
Labe leves carnere malae ?
Quin et laboris decipitur sui
Quemcumque tabes, et mala febrium
Pestis peredit ; nec rogales
Orba dolet mulier favillas.
Impune tutus per tenebras tener
Errat puellus, nec Lemures timet,
Strigesque per noctem rigenti
Ungue feras lacerare foetus.
Quam saepe rictu Vidimus aspero
Saevire Manes, et petere avios
Noctem profundam, ut Vaticani
Ingeminant monumenta Jesum !

Cedent inultis orbibus, et sata
Regnata linquunt Eumenidum graves
Partus, et aedes pax subibit,
Unde Patrum malus egit error:
Nostris ab oris haec ubi littora
Adibit hospes Numen, et aedibus
Sacris repostum pro pudendo
Mercurio putidoque jano
Jesum parenti degener insequens
Cernet juventus; tum veterem genae,
Quas decoloravere sordes
Heu nimium vitiis avorum,
Reddunt colorem; nec tibi se negat
Fastidiosus labis, et insolens
Morum pudendorum vetustae
Grande genus sociare gentis.
Quid cum latentem sub specie Deum
Cernes virili saepe tuis polum
Motare campis, atque amicum
Insolitis adhibere mensis?
Tum te vel imis excita sedibus
Fratrum timendorum agmina perfidis
Armis lacessant, et resorbens
Carcer hiet tenebrosus Orci.
Vinci dolentes fortior in duces
Surges, et acres proteris impetus,
Praebente non vulgare Jesu
Auspicium, indomitasque vires.

AD NEAPOLIM DE MONTE VESUVIO

ODE XVIII.

Vides ut aures murmure agrestium
Perstringat inter viscera saeviens
Vesevus, et de more tetram
Diluviem meditetur agris,
Rumpente flamma, Parthenope? Prece
Frustra fatigas sidera, supplices
Tendens lacertos, atque comptos
Dilaceras lacrymosa crines.
Certa ruinas arte moraberis,
Famosque campos deserit, arbiter
Si te volentem lege patrum
Castus amor moderetur aequa.
Hoc si magistro froena libidini
Licentiosae ponere noveris,
Mentemque temperare, et omnis
Radere culpae elementa disces,
Pulsis tenebris protinus aëri
Color redibit, et species agris,
Stabitque tellus, nec minaces
Ire vides per inane flammas;
Gratoque vulgus solvitur otio
Lethumque cedit: scimus ut ignéos
Excepit ictus et ruina
Difficili cecidere turres
Altae Gomorrae; rupta recluditur
Repente tellus, jam procul avolant
Faces et ignes, sulphuratae
Pervacuum nebulae, gravesq.

Tonante coelo fulminibus strepunt
Hinc inde nubes, incubat aedibus
Ignitus imber, prociduntq.
Tecta gravi labefacta motu;
Passimq. vulgus praeda rapacium
Premente coelo sternitur ignium,
Jam nullus insanos amores,
Et vetitos meditatur ausus.
Quid possit expers pectus amoribus
Libidinosis, quam bene muniant
Contra ruentes casta flammas
Pectora virgineaeque mentes,
Testis pudicae Lot sapientiae
Cultor, parentum quem domus integrum
Secuta dementes amores
Effugit opprobriumque gentis.
Ergo ruentis excidium videt
Immunis urbis? Scilicet aliger
Tollit paventes, et furenti
Innocuos prohibet calore.
Foelix fidelis sitibi consili,
Amica Siren, non piget: integri
Cliens amoris, nec vesevum,
Nec pelagum bene tuta sentis.

IN ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM CUM FORTITER REGIS CONATIBUS RESTITISSET

ODE XIX.

Non te dolentem sub pede barbaro
Linquunt inultam pectora praesulum,
Commissa quéis tutela regni
Christiadum, pietas, per urbes
O semper armis acta Borussiae :
Pro te cruentas non dubitat minas
Irasque, et infandas rapinas
Ferre animo generosiore,
Qui praesul ornat sacra Coloniae :
Quin et tenaci brachia vinculo
Constrictus immiti Tyranni
Arbitrio latebris tenetur
Tenebricosi carceris, impia
Ausus quod acri Frangere pectore
Edicta queis Patris Quirini,
Nilveritus sacra jura, temnit
Praescripta ; mirum quod fuit incolis
Quicumque dura sub nive Frigidas
Domos, et horrendas tenebris
Perpetuis habitant paludes
Ex Vandalorum sanguine stipites ;
Quin ab remota turba Britannia
Quaecumque Luteri furores
Non docilis superum sequuta

Ebullit ira Tartarea, stupet;
Istrique potor cum Scytha, et Ongaro
Sensere, quid Romana possit
In dociles animos potestas.
Ergo revictus pectore nobili
Fremit Tyrannus, fervidus igneo
Immugit, et Rifaea stridens
Ore ciet furiatque lustra.
Quo terra circum militia fremit
Inusitata; cum grege praesidum
Adsunt Sacerdotes, quot atra
Dicta Melanctonii, vel artes
Amant Buceri; jam studio novant
Alto Papyros pulvere sordidas:
Jam saevit immiti flagello
Dura ciens animos Erynnis.
At tu periclo relligio tuum
Fortis tueri dum potes eripe;
Hostesque, et immanem Tyrannum
Sterne semel solita ruina.

FORTUNA NON FIDENTUM: CLADES E VESUVIANIS FLAMMIS

ODE XX.

Superbientes quis tumidos genas
Attollet ultra? desine copias
Jactare dives, et superbus
Attalicas numerare gazas.

Non possidentem sed bene plurima
Dices beatum: tecta licet novo
Extructa fulgent ritu, et auro
Fagineam laqueare squallet,
Diu repostos si semel horridus
Ostendit ignes, omnia diruit
Æther, nec urbes, nec potentum
Arma valent reparare Casum.
Testis ruina non semel obrutae
Ædes, et arvum pingue bitumini
Datum furenti quod benigna
Vite diu cererique fulsit.
Nam vix frementes faucibus Evomit
Vesevus undas, et ruit enatans,
Globosque flammatos, picemque
Sentit humus liquidumque sulphur,
Ponit superbas laeta modo Comas
Sylva, et vagantes haurit hians sinu
Tellus favillas, Impetuque
Tecta gravi tremefacta cedunt.
Ferri ruina cum Dominis lares
Bituminoso turbine conspicis;
Natosque, maerentesque matres
Luctisonos iterare quaestus.
O qui benignae muneribus potens
Fortunae in auro vestibus illito
Jactare te gaudes, tumentem
Consilio potiore mentem
Compone; fato ne subitus gravi
Dijudicantis Numinis occupet
Nutus dolentem, quod repente
Abstulerint male parta flammae.

Ducunt latentes quam melius dies
Quicquumque lucos Numine praevio
Petunt remotos, et virili
Mente queant operosiores
Calcare gazas : hos neque Vesvius
Tumultuosus sollicitat ; gravis
Seu Sulphuratos mittat ignes,
Seu placidus premit ora vertex
Nocturnus arces Sidereas prece
Fatigat, et si forte volubilis
Coercet annos Parca; vitae
Pectore spem potioris haurit
Laudat ferentem multa Deum: minor,
Non si recedet, gratia: Maxima
Merces Et albae semper horae
Si placidam licet, atque firmam
Dixisse mentem rebus in arduis
Servabo : luctum non ciet acrior
Nec insolentem Sors benigna
Laetitiam: niteamque semper,
Seu luctuosis fulminat ignibus
Vesevus urbes et fremit horridus :
Seu ponit et grato calore
Nutrithumum viridesque vites.

ODE XXI.

Vides ut acri fulmine dextera
Rubet Quirini principis, et sono
Late tremendo per fideles
Increpuit populos, cietque
Ubique mentes, quo trepidis statim
Ruina Iberis imminet, impio
Quicumque tentavere motu
Concutere Imperii columnas
Nunquam caduci? protinus incubat
Nox atra terris: styx furit eruta
Immanis; abductasque mentes
Igne rapit piceoque fluctu.
Quos nulla coeli vis neque tradita
Petro potestas, manibus unice
Invisa saevis, nec piorum
Vota juvant, prohibente coelo.
Ergo patentes quo vocat Aeneus
Sonus penates ocius occupa:
Pronusque ad aram quicquid almae
Manat opis reserante Roma,
Gazas repostas, pectore collige
Capaciori, quod bene sordibus,
Quicquid pererravisti amando
Rite dolens prius expiaris.
Nam si favillas, quas alit impotens
Ebullientis pectore fervido
Libido mentis non fluenti
Diluerit melioris unda

Ferocientem nulla animum potes
Tenere habena ; fluminis immemor
Quo laesa duras astra mentes
Saepe solent lacerare , et imo
Detrudere orco vincla licentiae
Non addis : ampla non manus abstinet.
Gaza potentum , nec propinqui
Conjugibus sobolique parcis.
Dictis monentem liberioribus
Contemnis aram ; saevius aestuans
Freno , in reluctantem cruenta
Tela paras , gladiumque mysten.
Ergo catenas Pyrithoi et faces
Frustra dolentis Enceladi manent ;
Quem nulla devotum perenni
Victima supplicio resolvet.

AD B. VIRGINEM

IN LABE CONCEPTAM , QUOD IUVENES E SODALITIO EJUS BENEFICIO A PESTE IMMUNES FUERINT.

ODE XXII.

Non me corticis Indici
Succus , non cyathi Paeonii liquor
Servant, aut picei foci
Fomenta , aut fruticis gutta Britannici ,

Aut quam mittit America
Radix, nunc stomacho sat bona tabido
Me Virgo videat semel
Jesu dicta parens, dum prece plurima
Aras sedulus ambio,
Aut cum quanta fuit versibus explico.
Qualis flammeus uvidas
Siccat Phaebus aquas, quas caveae tenent
Depressae et palus abdita,
Talis quidquid inest tabificae sinu
Sordis, seu nebulae graves
Sive aestus faciant, si velis avolat.
Nam te nulla nocentium
Infecit mucies, nec genus inquinat
Quae nostrum vitio patrum,
Nec quam pectus alit motibus aestuans
Incestis sibi dissidens.
Ergo fata potes vincere debita
Noxis, et pede proteris
Quaecumque ex Erebi faucibus enatat
Pestis non facilis premi:
Manes arbitrio quippe valens tuo
Jactare, et mala tristium
Morborum, et lemurum diruere agmina.
O Regina potens poli,
Si non bile calet laeta cohors luis,
Si mens et numerus viget,
Si non Parthenopi distulit otia
Morbus, non nimium choris
Gratus Pieriis, muneris id tui est.
Jam tu nobilior meis
Fies carminibus, me semel ultimae

Discent vate novo plagae
  Quam tu Paeoniis fortior artibus
Purgas viscera tabido
  Morbo, quem medica nullus ope edomat.

IN OBITU CAJETANI BONANNI

ODE XXIII.

Paulum dolentis munera naeniae
  Desint sepulchro; nunc, ubi manibus
    Sat expiatis destinatas
      Inferias soluere moesto
Vates cothurno, fas mihi lugubres
  Mutare ritus, et tibi barbiton
    Sive astra oberras, sive laudi
      Testis ades, meliore plectro
Pulsare, Praesul; quanda superstite
  Fama superbit nomen, et undique
    Plaususque, tebanasque poscit
      Emerito capiti coronas
Vulgus faventum. Scilicet ardua,
  Terris remotus, nec docilis situs
    Vulgaris, affectasse signa
    Diceris, et tenuisse olympi
Sublimis axes: seu placet otio
  Cessare docto, seu melius Deo
    Moerere, non mortale sentit
      Parthenope, Euboicumque littus

SAECULI VOLUPTATIBUS SUI VICTOR, VALE, DICIT.

ODE II.

Superba bello facta Quiritium
Plenis honorum carminibus ducum
Nondum fatigatae laborant
Pierides decorare laude
Sic per remotos gloria Caesaris
Errat Britannos, sic memorant graves
Drusos Genauni, sic recenti
Laude Cato Mariusque crescit.
Sic te vetustos non terit Annibal
Fratrisque spirat nomen Amilcaris;
Quamvis reformidata castra
Ter miserae doluere gentes.
An tu tenebris obsitus invidis
Squalles inultus Loisides, neque
Te plectra inornatum nec aulae
Condecorant; neque tela vitas
Oblivionis? non tibi si negant
Tibris Triumphos et capitolia,
Quod nec feroces per Sicambros
Jeris, indomitasque bello
Olim Getarum contuderis minas
Gravesque Persas, tempora floribus
Insitatis et corona
Tergemina careant Capilli.
Victor dolosi ditis et abstinens
Aulae domantis corda potentium
A te coruscans irretorto
Lumine vestibulum, et cientem

Nutum favillas pectoris amoves
Eblaudientem ; scimus ut ignea
Mentes fatigant et juventam
Arma cupidineaeque thedae ,
Quam non trecenae excubiae neque
Robusta tecti limina muniont,
Vagamque per campos et arva
Blanda capit facilique vertit
Venus sagitta : quo tua laederet
Labore pellex pectore ? te vigil
Virtus recondit teque cautus
Tum clypeo tegis irreperto.
Spectandus acri dum tua verbere
Non ante viso conficis impetu
Membra et laborantes flagellis
Nocte latens animos fatigas :
Duris ut altam saepe securibus
Tondit colonus impiger ilicem
Tophosque cedendo et tabellas
Marmoreas faber arte quadrat.
Ergo triumpho non sine gloria
Fulges superbo , te minor undique
Pubes veretur , te per aras.
Roma sacrat meliore cultu.

AD D. ALOISII MATREM IN SOLEMNI FILII APOTHEOSI.

ODE II.

O mater omni matre [illegible],
Compone mentem, laetaque tristibus
Mutare festina, et solutam
Rite comam cohibere nodo;
Non laude tanta fulsit Olympias
Olim renidens cum Macedo agmina
Ærata perrumpens fugatis
Assyriis, gravibusque Persis
Late sonanti ocyor Africo,
Campana vertit cum sata diruens,
Indosque, Corytesque jussit
Indocili juga ferre collo,
Ut tu refulges sorte potentior
Feliciori, scilicet additus
Stellis, coronatusque coetum
Indigetum sociat minorum
Natus, rapaci quem modo fleveras
Letho peremptum: cernis ut aurea
Hinc inde collucent per aras
Lumina thuriferaeque thedae,
Quas turba certo digerit ordine
Devota, et oras sidereas prece
Fatigat, et supplex Averni
Loisiden Erebique poscit
Late potentem? Scilicet ardua
Qua parte coeli robora pectoris
Æquans paterni matre pura
Nata sedet soboles datura

Dilem catenis, et genus aetheri
Fidele terrae; sedibus igneis
Admissus accumbit tonantis
Concilliis Lodoix, bibitque
Quot grata fundit pocula penniger
Minister ignis, quo penetralia
Æterna, stellataeque sedes
Usque micant, superosque adurunt.
Ergo marito foemina credulo
Conjuncta postes mox subit abditos,
Mercede quo pacta redibit
Incolumis positura signum.
At tu lacernae quam cruor unxerat
Non indecorus, oscula divide,
Intemperatis quam rigasti
Lacrimulis minus aequa nato

SOCIETI JESU DAT NOMEN

ODE IV.

Coelum sequutus castra potentium
Et bellicosas Martis adoreas
Penate jam mutat reposto
Ogniadum hodoix: supernas
Intaminato quo bene pectore
Condiscat artes, prorsus impiger
Formidolosas quaeis Averni
Consilio potiore turmas.

Ergo ne inertem me tenet otium
Brevisque lusus quin pede libero
Domum relinquam, quave olimpi
Aura rapit bene suada pergam?
Juvat frequentes ducere, proh pudor,
Choros per urbem, perque volubile
Errare vulgus et solutos
Ferre pedes per amara vitae.
Dum me fideli pectore ad ardua
Coeli suadet tendere praevius,
Et per relictantes catervas
Sternit iter lodoix ad auras?
Me dixit; atris vinciat impotens
Pater catenis: me populi premat
Furor jubentis prava, nunquam
Mente quatit Solida: nec aulae
Nitentis ostrum, nec decus aguminum
Forti sequentem pectore principum,
Materque suspirans sororque
Virgineos lacerata crines
Proh quanto fervet per penetralia
Gente dictis ira minacibus:
Ferente proh quantus parentem
Ardor agens juvenem fatigat!
Tuus prementes Virgo, Parens, tuus
Contempsit iras Loisides, tibi
Utcumque tu jugis per arma
Perque moras ruit expeditus,
Tenes favillas tu ingenio adjicis
Loquens per umbras; cordaque roborat;
Securusque ad optatum per auras
Limen agis comitata raptum.

Felix ferendum si tibi mobile
Maria credam pectus, et auspice
Gonsaga inaccessas ad arces
Ogniadam penetrare coner!

VARIAE EJUS VIRTUTES, ET PRAECLARE GESTA

ODE V.

Quid feram vates? mea quid sonabunt
Plectra, dum sacra redeunte luce,
Qua redux fulget Ludovicus astris,
Carmina poscor?
Vincta verbenis ciet ara, fulget
Murus auloeis: studiosa fervet
Carminum pubes; premit otiosa
Ora Magister.
Regium dicam decus, et frequentes
Gentis antiquae titulos, genusque
Unde prodivit puer, ut reciso
Cortice gutta,
Sive quam latis legit Indus hortis,
Sive quam seris pelagus Britannis
Enatans volvit, parit et Sabaeo
Gleba colono?
Ut puer labem cavet, integroque
Pectori et castis inimica vota
Moribus, quae vis mala nutrit Orci
Flammaque mentis

Quippe crescentes animos favillae
Abditae venis rapiunt: calescens
Pectus ebullit, teneraque adurit
Theda medullas.
Ille gliscentem bene cautus hostem
Vitat immunis, similis puello
Quem sinu claudit veritum Leonis
Guttura, mater:
Talis aeternae sobolis Parenti
Credidit primos Ludovicus annos,
Quae ducem terret Stygium, et tremendo
Lumine Manes.
Nobilem ingenti referam triumpho,
Et graves pugnas sua dum parentes
Consilt expertes, renuente Coelo,
Vota morantur.
Quid puer majus potuit, quid armis
Coesar in Parthos Mariusque Cymbros
Struxit? infanda potuere clade
Sternere gentes.
Hic sui victor, cupidaeque mentis,
Sceptrum, et insignes variis coronas
Reppulit gemmis, thalamum irretorto
Lumine vidit.
Vota non flectunt, studiumque vulgi:
Osculum temnit, lacrymasque matris,
Et per obstantes populos relicta
Exsulat aula.
Ditior Crœsum super, Attalumque,
Se gravis jactat, sibi quod benigni
Defluunt Coeli, licet et fovere
Pectore Numen

Grandis Ignati soboles, novusque
Ordo pugnantûm, bona pars Camoenae
Jam meae vobis hodie, annnente
Numine cedet,
Ille vos exsul sociare gaudet;
Illum et insueto in Stygios duello
Utilem sacrae bene finxit auctor
More palestrae.
Bella in insanos meditatur hostes
Quotquot extremis Orientis oris
In reluctantes Superos iniquo
Pectore certant.
Hic laborantem juvenem in negato
Proelio dicam, dubito an dolenda
Corda dum justos cohibere gestit
Jussus amores.
Mobilem post hoc trepidumque in urbe
Concinam, dum se rapientis ultro
Dentibus praebet Luis, impetumque
Sustinet Orci.
Ora Cycneos imitata cantus,
Et leves artus referam, utque in auras
Non sibi pendet gravis, et ferente
Tollitur igne.
Invidet terris polus insuetum
Flosculum terris; avet in recessu
Inseri Divûm; Ludovicus alta
Poscitur aulâ.
I, puer sertum tibi debitumque
Otium; sed te pia si vocabit
Supplici pubes prece, ne clientum
Despice voces.

(PARS ALTERA)

COELO RECEPTO ANGELI PLAUDUNT.

ODE VI.

Salve veris honos, floscule purpura
Omni splendidior; meta laboribus
Curisque et studio jam data; mutuis
Sed nulla officiis; nostra recentibus
Nunc vinclis coeunt pectora, amoribus
Jam dudum paribus composita: heu quibus
Virtutes similes atque animi pares,
Contingunt sociis quos faciant suo
Tutos praesidio? Non mihi sidera
Cum terris aliquis dixerit hospitem
Mutasse; aethereis nec procul arcibus,
Extorrem illa minus ducere gaudia;
Uno te socio sorte beatior
Gaudebam superum; tu mihi siderum
Unus, te propius cernere, tangere
Affari, omnigeno munere gratius.
Quod si te viridi cortice vividum
Terris mors gravior sustulit, integris
Id factum generis legibus, ardua
Affectare tibi sidera creverant
Maturo studiis asperioribus
Jam pennae: senium vis facit integrae
Mentis; quam levibus lusibus expedit
Virtus; qui facili pectore spernere
Audet, quicquid habent saecula copiae

Omne qui mœsta sollicitudine
Expers, hunc superas pronum ire ad domos.
At tu quid tumidus languidulis genis
Haeres? quos pudor hic? non tibi luminum
Horrendas insidiae: non male liberae
Linguae dicta: grave non patet immine:
Urgens imperio: non opibus domus
Fulgens sollicitat: quicquid adest amor
Puris componit ingeniosior.
Aude, pergeque: te puli obvia
Jam pennata cohors, adspice ut ordines
Fundit summa suos aula: strepentibus
Jam circum citharis omnia personant.
Te spectant Lodoix: nectareus tibi
Circum spirat odor: ciara volubiles
Sistunt astra rotas, Sol nitet aethere
Fundunt thura manus: tu citharis sonus
Unus, tu cupidis luminibus decus:
Mox mecum repetes infima munerum
Nostrorum socius, jam novus aliger.
Mecum quos pietas sedula colligit
Formatura bonis artibus avios
Custodis juvenes: matmaque accipis
Consors indigetum dona clientium.

ODE VII.

Æternae fidicen lyrae
  Numen nunc numeris splendidioribus,
Quam quae pectore fuderant
  Vates fatidico, Loisides canis;
Audes quod pede libero
  Laurus, et lapides aurum et inutile
Cum sceptro, et genere, et domo,
  Contemptor tenuis linquere gloriae.
Ergo quam tibi destinant
  Sedem cœlicolae, quod solium tenes?
Non tu parte moraberis
  Ima: non modice cum popularibus
Indictus superis nites:
  Sceptro sceptra paras: spreta rependitur
Sertis nobilioribus
  Laurus: sidereus te levat impetus
Imo pondere liberum:
  Dia mente tumes: ocior alite
Primi, scandere sedulus,
  Coeli summa tenes, quo melioribus
Regnes conditionibus,
  Expers et socia cum sapientia.
At nunc quisquis inanibus
  Curis sollicitus negligit arduas
Arces, et minor uvida
  Languet mole sui: te videat novo
Auctum munere nobilem
  Contempto imperio; sentiat indigo

Quam sordes valeant brevis
Vitae, nec pigeat sollicitudine
Vana solvere pectora;
Ne qui tecta colunt ardua, et illiti
Vulgo murice dissident
Coeco toenarius deprimat alveo
Orbis: quo tenebrae et pavor
Luctusque, et lacrymae, flammaque conficit.

EX THRONIS

ODE VIII.

Aeterna dicam jura: recluditur
Cortina coeli; numinis abdita
Arcana scrutatus, profundi
Fatidicus retegam minister,
Non omnis astris Loisides gravi
Cessit solutus compede; debita
Pars multa terris; laetus illic
Laude recens titulisque crescit.
Mirata mentis non humiles levis
Nisus et expers pectus amoribus
Licentiosis, et timendum
Consiliis animum paternis:
Devota tellus protinus atria
Arasque sacrat, sertaque praecipit
Ponenda, jurandumque numen
Indigetum numero reponit.

Late minores imperiosior
Tenebit urbes : jam liberis vocat
Padusque divum , jam Garumna
Cum Rodano sua vota praebent.
Proh , quanta fervet turba faventium !
Quantus fatigat pone sequens chorus !
Hinc grande vulgus, inde pubes
Sollicitat studiosa Phoebi.
Pater Quirinus quisquis et acrior
Tumultuosis ingemit ausibus
Furentis ultorem per urbes
Nequitiae Venerisque poscit.
Quae non juventae praelia destinant
Insanientes in superos duces ?
Illhinc gyganteo furore
Arbitrium male Vaticanum
Lutherus urget : hinc male liberas
Ritu paterno moribus atterit
Mentes inadsuetis Melancton
Eloquio hine gravior doloso
Russojus , acri gatture sibilat
Vomens Veternum , ceu coluber solet
Latens ad undas , et juventam
Dedecorat, bene nata turpans.
Ohe beatis auctus honoribus
In pervicaces latius explica
Vexilla jam victor recenti
Splendidior Lodoix triumpho ,

ODE IX.

Quis comat juvenem nitor
Quoque urente caput lumine fulgeat,
Consors mente tenes cohors;
Et lumen croceae flore prius rosae,
Et quae lilia dextera
Gestat: quoque caput vernet amaraco:
At queis nos deceat modis
Victori juveni plaudere, negligis?
Angutos numeros petunt
Qui multo redimunt vulnere sidera,
Astu perdita manium,
Objectoque fidem pectore muniunt.
Cingunt tempora laurea
Quicumque eloquio condita numinis
Pandunt, et male devias
Mentes, quae latebras per copientium
Errant pabula Tartari
Ducant: at manibus lilia Virgines
Alba et crinibus implicant.
Terno Loisidem munere nobilem
Claret tergeminum decus.
Sed cur dulcisonae flamina tibiae
Cessant? Cur nume: silent?
Eccur luce nova non polus emicat?
Adsint undique sidera
Coganturque polo quot volitant chori.
Dicatur numero novo
Victor Loisides; audiat illico

Laetum nunc strepitum puer
Si qui forte malo desidet otio,
Peccantemque monent pii
Frustra, quod dominus deterit improbus,
Ludus non sine crimine;
Hunc coeni atque situs poenitet horridi,
Summo dum videt aethere
Hunc succos liquidi ducere nectaris.

EX PRINCIPIBUS.

ODE X.

Vis magna Regis; vincere fortior
Cogit cohortes, agminaque irruens
Perrumpit adversa, et potenti
Colla premit superata calce.
Sed si furentem pectore martio
Summo ruentes aethere Numinis
Turbae lacessunt, ut ferente
Ire noto per inane plumae
Vagae videntur; pectora concident
Ferrata: fortis stermitur impetus
Impune; devotasque morti
Una acies labefactat hora.
Testis mearum dux Babilonius
Sententiarum: funera militum
Sex dena vidit, atque vasta
Castra mea rapiente dextra.

Cum pervicaci mente lacesseret
Regem timentem; nec veritus focos
Templumque non tangendum et aras,
Excidium Solymis pararet;
Talis frementem penniger adsidens
Domo parentem detinui manu,
Dum te reluctantem probrosi
Consilii retineret auctor;
Dicente fatum Numine: debitam
Prolem parentes eripiunt polo;
Cultusque per faedos et artes
Compositam genitor juventam
Diffinget? Ergo quem sequitur ducem
Pergens juventus, cui sua devia
Regenda credit corda, stultus
Si genitor malefidus errat
Vertitque rectum? Non mihi serviet
Mortale pectus? Et vetor arbiter
Qua lege mens suadet vagantes
Ferre animos dubiosque passus?
Ohe juvenci protinus aera
Tranate pennis: sumite fulmina,
Et arma tractantes ahena
Territe equos equitumque vultus.
Utquumque princeps Castilionius
Obsistit, acrem sentiat impetum:
Pugnate, donec Vaticana
Loisides potiatur arce.
Sed hi labori conveniunt modi.
Quid saeva narro praelia? Verticem
Adsende, victor, et triumphum
Voce canam meliore psaltes.

ODE XI.

Custos pudoris sedulus integra
Per astra fulges lilia, dextera
Praebens, et insignes nitore
Sidereo Lodoice cultus.
Orci ne fraudes Ditis, et effugis
Impunis ausus? Scimus ut irruens
Direxit arcus, et protervo
Exitium meditatus ungue,
Concussit audax perdere nobilem
Pudore vitam, seu libuit levi
Tentare nuto, seu procaci
Eloquio stimulare pectus.
Sed quid suavis comptus odoribus
Posset capillus? quid nitidum caput?
Quid vultus, ardentesque ocelli,
Et species malesuada frontis?
Ut alba tollunt lilia verticem
Quae nulla carpens dextera decutit,
Summoque saxo per rubeta
Rore levi recreata rident;
Sic tu nitebas inviolabilis
Latas per urbes: scilicet aegida
Arcusque Coritesqpe Diti
Opposito socii minaces
Torsere mecum: quid venus audeat
Natusque fallax? quid jecur igneum
Contra reluctantem juventam
Grande genus superum decusque

Inauspicatos vidimus impetus,
Fractas et iras tartara Manium
Redire inultas, et per umbras
Voce gravi tonuisse Ditem.
Leves columnam contra adamantinam
Jactamus ictus; si valet aeneas
Prostrare lenis aura turres,
Et teretes lacerare quercus,
Volans cothurnix, vincitur impotens
Laesusque tabet Loysides: miser
Obluctor astris, et sagittas
Immemor exitii retracto.
Non uret iguis Loysiden; gravem
Vitat mephitin, quem tegit aurea
Lorica Olimpus et dolosas
Expediunt superi per artes.

EX VIRTUTIBUS

ODE XII.

Non quos inermes ferre manus jubet,
Latusque virtus cogit ahenea
Carere thoraci nec hasta
Fulminea cohibere nisus
Iniuriosos, proterit impetu
Impune morti non reparabili
Vis saeva devotos, vel Orcus
Insidiis premet immerentes.

Sunt qui tuentur: scilicet ardua
Quos arce numen digerit ordines
Emittit aeer, et paventes
Praesidio bene firmat ultor.
Utquumque turmae sidereae ruunt,
Quas dia virtus roborat, illico
Siccantur undae, deciduntque
Tecta gravi tremefacta motu.
Talis paventem Coelica te dedit
Tutela totum: nec caput obruit
Quae multa in imbellem parabat
Sive polus mala sive tellus.
Testis Ticinus dum tibi gurgite
Assultat alto turgidos, illico
Desaevit, horrendoque frustra
Vortice retrogradum resorbet
Cum gente currum: testis et integros
Audax per umbras rodere flammula
Artus, et excussura turres
Ignifera catapulta glande.
Non tu paternis pectora viribus
Tutata debes: Dia pericula
Caterva, et instantem ruinam
Una potest retinere virtus
Sed nunc beatae pars eris inclita
Virtutis: orbis quo viget indigus
Consors vigoris, dante coelo,
Damna potes reparare laethi.
Per te coibunt vulnera: spiritus
Redit jacenti Paschasio, modo
Pressus ruina; cum vocarit
Rite Proclus sua membra sumet.

Ergo dolentes te prece plurima
Ægri ciebunt : diceris arbiter
Orci : laborantumque certo
Praesidio statuentur arae.

EX CHERUBIM

ODE XIII.

Non tibi ludet, Lodoix, beatis
Addito turbis virides per agros
Scena, quam spissis variata fingunt
Floribus arva.
Non per herbosos trepidans lapillos
Rivus, aut flavas agitans aristas
Ventus et pictis decorata saxis
Moenia rident.
Ore sublimes bibulo recessus
Lene qua diae salit unda mentis,
Tangis accedens, laticesque vasto
Pectore condis.
Seu vides artes varias modumque,
Consili, quo res hominumque certa
Lege componens animos, minorem
Digerit orbem :
Seu faces, et vim nimis aestuantis
Cordis, ut sacro jaculetur urbes
Igne, quae coeli male pervicaces
Vincula rumpunt :

Seu leves motus facilemque vultum,
Voce quem grata soboles serenat
Aequa, et ardentes tonitrus pharetra
Condere cogit:
Quanta inadsueto satiata ludo
Mens tumet, quantus sinuosus errans
Per leves artus lepor, et voluptas
Pectora mulcet!
Quae nimis longo doluere luctu,
Numinis dum te nimium neglecti
Vindicem jactas, potes et flagello
Caedere vitam.
Adspicis quantae saliunt favillae?
Diditur coelum: patefacta ridet
Scaena; ne tellus remoretur ultra
Ima beatum.

EX SERAPHIM

ODE XIV.

Ascende princeps; aethere in ultimo
Stent membra longis fessa laboribus,
Qua parte regnamus beati
Nos superum vigor atque flamma.
Udo ne cretus sanguine diceris
Mortalis, imas qui potes aliger
Calcare terras, et per auras
Ire levem, et penetrare Olympum?

Non sic liquescit pulvis et avolat
Marmor per auras, et modo florea
Arescit arbor ; et deliiscens
Gliscit humus, subeunte flamma:
Diae ut favillae pectora conterunt,
Genusque mutat quisquis amoribus
Sacris calescit et per orbem
Mole volat patria expeditus :
Depraeliantes quem neque territant
Telis tyranni ; nec facilis movet
Fortuna ; dones regna, spernit,
Imperii melioris haeres.
Ut tu renides ! ut libet horrido
Sordere amictu ! ut purpurei piget
Serti, coronatique postis
Atque breves petis exul aedes,
Coelum volatu coelum avet ultimum
Ferente flamma non piger aemulus,
Tenere mortalis cohortis,
Qua superi renitente splendent.
Utcumque mentes non sine gaudio
Fovere flammae, diaque lumina
Odere lusus ; atque gaza
Grata modo tripodesque sordent.
Ergo relictis terrigenis novum
Sidus per aras Loysides mices.
Frangantur atque adstricta culpa
Pectora mox tumulanda in orco.

ODE XV.

Me multus levat avium
  Intactum puêrum per liquidum oethera
Tollens impetus : arduae
  Non moles retinent, nec solidis pedem
Dumis septa morabitur
  Rupes ; et pelagi, et saxa sonantia.
Nardo tempora plurima
  Manabunt, variis textaque floribus
Cingent serta caput : micant
  Fulgentes oculi, certat et aureis
Vultus purpura prominens
  Aurorae radiis, cum caput extulit
Spargens mane novo rosas :
  Nitar totus olens : et placeam meis
Permixtus sociis ; levis
  Et coetus fugiam, castraque fortium
Secter, jure superbiens
  Quod nulla vitiar tabe procacium.
Nempe muneris id tui est
  Totum Loysides ; quem pede libero,
Calles per dubios sequi
  Ausus non timui, quid mihi maniam
Immanis furor increpet,
  Qui falli faciles in pueros rudit.

O dux pubis, et arbiter
  Intactae sobolis, quam sibi destinat
Pallas, grata volubile
  Fingens ingenium, tu mihi nectaris
Succo dulcior, et mero,
  Et quidquid tenerae est messis, et arborum;
Quamvis tu rigeas gravi
  Vultu, et composita fronte severior
Effusos animos premas,
  Membris bella ferens; te libeat sequi
Si te jam duce criminum
  Evitem salebras; nec vada devius
Tangam dira libidinis:
  Tu pectus reficis, tu speciem novam
Fingens restituis genis,
  Quas carpit macies, aestus et impotens
Cordis, quod face clanculum
  Repens ima Venus torruit. Invidus
Fulgentem aspiciet genam
  Incestus comes, et cultor inutilis
Lusos, quem modo luridis
  Advectum Illiricis, aut rigidis Scythis
Siren fallere callida
  Incautum tenero diripuit dolo.

VITAE ASPERITATE VITIIS OBSISTENDUM SEVERISSIMÈ
D. ALOISII VIVENDI RATIO.

ODE XVI.

Offusum nebulis polum
  Obducunt tenebrae, et perpetuus nigror,
Quandoque e Lybicis notus
  Campis, aut madidos Cauros Ibericis
Nimbos aggerit involans,
  Ni Riphea palus, aut gelidus Scythes
Immittat boream, et nives,
  Quo cogente graves diffugiunt statim
Imbres ut solet agmine
  Maurorum cuneos Gallus, et acuta
Istri Bistona persequi,
  Ex quo laeta dies fulget, et liquidus
Campos sol melior fovet.
  Sic te, Balbe, quies ferrea, et aspera
Aerugo, et macies premet
  Pallorque illavie, et nebulis caput
Ni qui corda rapit timor
  Acutaque, et gravium lympha cupidinum
Te cogente refundatur.
  Felix Lusides; non puero calor
Quo mens vertitur, et tumet
  Saeva in bella jacur, pectus et igneum
Vinci mollia cupidine
  Decorant, et simulu semina bellici.
Haec curis melioribus
  Deterget, tumidas dilucre efficax

Iras, quosque Venus ciet
Dira fraude faces : exigua cutem
Exsiccat dape, frigidi
Quo cessant animi, nec male temperant
Artus ; non hiemem gravi
Defendit tunica ; sed boreas placet,
Adstringique gelu cupit,
Admotoque humeros fuste rigescere ;
Nec terna requies placet
Hora longior, aut ponere mollibus
Stratis membra labantia ;
Aut luces levibus fallere lusibus.
Curis sic vacuum viget
Pectus, nec stimulis acta nocentibus
Fervent viscera, quo lues
Atque error capitis, et metus, et ferens
Bellum funera gentibus.
O siquem pigeat forte morae, et situs,
Damnosi, atque amet ardua
Affectare poli culmina, quo nitor
Et lux, et sopor, audeat
Alas ingenio apponere desidi ;
Si mentem asperioribus
Formabis studiis, si choream, et trochum
Mittas, et jacula, et mali
Curas dissidii, sollicitae patrum
Cessabunt querimoniae,
Et stat certa salus civica legibus ;
Et tu, Balbe, faventibus
Mutabis superis gaudia ludicris,
Quae nulla attenuat quies ;
Et grata, ut Lodoix res numeris eris.

D. ALOYSII CONTRA PESTEM TUTELA.

ODE XVII.

Ergo ferentem funera dextera,
Et proterentem pectora cuspide
Aeternet Augustum, manuque
Romulea numerosa arte
Flaccus sonabit, cum videant domos,
Et caede vastant cedere nescii
Urbesque, regnatosque campos
Per silvas ululante vulgo.
At vate virtus Lolidis caret,
Inusitata dum miseras ope
Tutatur urbes, ne perirent
Tabificae mala praeda flammae?
Utcumque cantem; nobile posteri
Factum docentur: scimus ut horrida
Sensit voracis tela mortis
Pernicie irreparanda tellus
Pontina. Qualis decidit undique
Sonans per agros messis, ut igneas
Taedas, et ardentes favillas
Luce dedit media colonus;
Talis per urbes, qua Padus obstrepit
Lues furebat exitium ferens,
Nec terga robustae juventae,
Nec validae mala fata vires
Vitant virorum: languida considunt
Hinc fusa, et illinc corpora in aedibus;
Lateque colluceni per aras
Funerese tumulosque taedae.

Vocatus audit tum popularium
Votis labores Loisides : adest
Sive astra linquens , sive templa
Incoleret bene fidus hospes.
Non sic Japix nubila dividit
Collecta fundens , pars rotat arduâ
Ad astra rarescens , ad imas
Pars residet resoluta valles ;
Ut saeva tabes , et mala febrium
Cohors ab altis diffugit undique
Tectis , et exesos relinquit
Antra petens nigra Ditis arcus ;
Novaque campus risit adorea ,
Crevitque gentis gloria , nec suo
Honore sospes Divus , arae
Nec meritis carnere donis.
Tuus furentis , Loisides , tuus
Vitabo fati spicula , vulnerum
Immunis , aut imum perurit
Sollicitans jecur igne tabis ,
Aut clausus urget gutture spiritus ,
Et corda frigus pulsat anhelitu ;
Adsis precanti : nulla laedet
Illuvies bene praeparatum.

AD D. CAROLUM GUIDUBALDI

ADOLESCENTIAE EA SUMMA FELICITAS QUOD CUM CURIS LIBERA SIT, DEO FACILIUS VACARE POSSIT: D. ALOYSII EXEMPLUM OSTENDIT.

ODE XVIII.

Et me summa juvant sidera, Carole
Atque altas Superûm vertice tangere
Sedes, qua liquidis se sapientia
Profert ingeniis non sine gaudio.
Sed me multa vetant : est animus gravi
Anceps officio, dum variae trahunt
Curae, quae rapiunt qualibet aviam
Mentem, ne valeat stare volubilis.
Omnes quippe rates in pelago sumus,
Quae ducunt animos per scopulos vagos,
Aetas dum gravior, et studium rapit
Aut lucri, aut capiti cingere lauream.
Est lex Pieridum, et cura Heliconei
Montis, seu placeat fallere carmine
Curas, sive feros flectere spiritus.
Est et dissidium saepe domesticum,
Sunt irae, et rabies, sunt mala jurgia,
Seu quis fraude mala subdolus impetit,
Seu dextra aggreditur sternere fortior ;
Respondere opus est, si novus advocat
Haeres : aggeribus nunc melioribus
Stipandae segetes, nunc trabe labilis

Firmandus paries et laquearia.
Sed te nulla, puer, nunc mora detinet
Devinctum, et studium; quin pede libero
Tendas totus iter per liquidum aêra,
Et Caelum subeas hospes, et accubes,
Qua divum liceat ducere pocula.
Si te mobilium nulla sodalium
Durum cura tenet, et taciturnitas
Immunem strepitus servat inutilis.
Talis Loysides Castilionia
Ductos gente puer, nunc superûm jubar:
Longa saepe die, dicitur, arduas
Affectasse animo culmina siderum, et
Ima mente Deum volvere sedulus.
Et gratos animis tum juvenilibus
Somnos aethereis consiliis pius
Mutasse, et taciti pectoris aestibus.
Atqui non deerant tela licentiae,
Dum cingit tunica natum adamantina
Exercere parens proelia sedulus,
Et certare jubet, et regere agmina.
Hinc lusus juvenum provocat arbiter;
Hinc ridet variis aula tapetibus
Et rhedae, atque dapes, et nitor urbium;
Sed spes sidereae maxima gratiae
Quum quaerit bibulo haec pectore gaudia,
Fit rupes juvenis quem Notus impetit
Frustra sollicitans; aut coma fraxini,
Quae surgit Zephiris icta potentius.
Haec si tu vacuo pectore senties,
Lusus ire procul, et leve, Carole,
Dimittes studium nec tacitos Lares
Spernis: dulce dies condere in otio.

RELIGIONIS CONTRA VITAE INCOMMODA VIS:
D. ALOYSIUS AEGRIS MEDETUR

ODE XIX.

Non sola saevam pocula nauseam
Ventris coercent, aut liquor illitus
Reponit artus quos vel ictus
Dissoluit subitusve lapsus.
Tu quod tepentes Inarimes aquas
Frustra bibisti, nec valuit lacus
Lenire Bajarum fluentem
Perpetua sanie lacertum,
Et pituitae non facilem luem,
Erneste, duras inferias paras;
Moestisque amicis, et parenti
Triste vale repetens honestum
Pectus fatigas? est superis sua
Virtus medendi; sunt cyathi et latex,
Limphaeque et experles pericli, et
Certam homini trepido medelae
Vitam daturae; si faciles modis
Praebebis aures non medicamine
Vulnus carebit: imperitum
Foemina tabificos labores
Experta firmat; fertur inutiles
Succos serena fronte medentium
Jactasse, et obstantes propinquos
Sollicita exagitare voce;

Ut per patentis moenia Bormii,
Cepina qua se finibus explicat
Parvis per agros, fama Averni
Loisidem pluviique nimbi
Dixit potentem. Poeoniis genus
Lectum tonantis serviet artibus,
Si tanta delabens Olympo
Damna valet reparare virtus
Vitae dolentis? non mihi quaestibus
Ciendus aether, nec mereor prece
Longa salutem; ferte thaedae
Particulam tenuemque guttam
Qua sacra fulget Loisidis domus:
Non me revinctum lhethiferi thori
Ultra tenebunt, ulcerosa
Crura vigent fugiente tabo,
Manusque et omnis laeta redit cutis;
Quo spes et aegris carta reponitur,
Si qui laborantes paratas
Funereas timuere thedas.
Ergo ne tantae Loisides tibi
Vires? sed aegram Parthenopem lues
Vastat perurens: tu clientem
Certa novam medicina serva.

D. ALOYSIUS VITAE PUERUM DEFUNCTUM REDDIT.

ODE XX.

Multus provehit impetus
  Vatem si cythara dicere nititur
Regem, qui niteat redox
  Postquam difficili plurima praelio
Sternit pectora, civium
  Custos, et patriae certa salus suae.
Sed quis me capiet gradus
  Caelorum? aut superum vertice moenia
Pertingam, aut pede libero
  Qua me cumque feret musa ruam novus
Ales, nobilis Appulae
  Thebanaeque lyrae non piger aemulus:
Dum me Loysidem jubet
  Clarare eloquio non humili Deus
Bello non solito ducem
  Victorem: Stigii scilicet ostia
Perrumpens adamantina
  Postis, herculeis fortior ausibus
Regem haud ante domabilem
  Ereptum puerum cogit aheneis
Urgens solvere vinculis,
  Quem reddet siluis, et pecori vago.
Quod sic vota precantium
  Aerumnaeque movent et lacrymae domus,
Et spes fida clientium,
  Ausi qui tenui tingere guttula
Rapti lumina Palladis,
  Et sperare novam Loysidis opem,

Quo raptus redeat vigor
  Tabenti puero : sentiat ignea
Tabes et macies fera
  Quo nunc Parthenope, et proxima littora
Vastantur juvenis graves
  Vires, et facilem vincere dexteram.
Hanc si per gemitum et preces
  Tandem Parthenopes prona merebitur
Has tentasse piget luem
  Oras, et properat moenibus egredi.

D. ALOYSII IN COMPESCENDIS MALIS CUPIDITATIBUS VIS

ODE XXI.

Non te vapores sideris ignei
  Lucille credas, uvidae et halitum
    Vexare telluris, cruenta
      Quo illuvies male vertat artus;
Si languor aegros implicuit pedes
  Albetque vultus, extaque tabido
    Sonant tumultu, criminosa
      Vena facit vitiata flamma.
Ardor quiescat pectoris illico
  Ebullientis, et Venus ossibus
    Absistet imis, et dolentes
      Certa salus reparat medullas.

Si corda Divo credere noveris
Qui nostra custos sedulus otia
Tuetur, absistent favillae
Corde, cupideneique fluctus.
Non sic Britannus viscera diluit
Corrupta pulvis, potaque pectora
Exhaurit obstructa et cruorem
Tabificum perenna radix:
Ut ulcerosum dira cupidinis
Statim relinquit colluvies jecur,
Utcunque se menti vocatus
Insinuat Lodoix tuendo.
Talis calebat militiae Polus
Devotus heros Ogniadum; gravis
Non vultus et stipata septis
Vita depem Venerem coercet
Quin criminosas injiciat faces;
Inclusus olla ceu furit aenea
Latex et undatim refusus
Enatat erigiturque ad auras:
Tali calescens non sine murmure
Miser laborat, tum Lodoix genas
Praebet vocatus, delinitque,
Ut rubeas data lympha prunas.
Artus acutis te nihil attinet
Amice flagris atterere et brevi
Mensa fatigatum labore,
Aut lacrimis tenuare pectus.
Si mente pura, cum liber et dies
Monet, vocaris Loisiden, face
Omni solutum cor virescit;
Tuque nites meliore cultu.

D. ALOYSIUS AD VIRGINEM PRO SUO CLIENTE.

ODE XXII.

Virgo, te duce vulnera
  Vitavi jecoris non bene fervidi;
Virgo munere jam tuo
  Aversum potui vincere spiritum
Patris; nec tenuit domus
  Vinctum cum placuit jungere me tibi.
Romanos potui lares,
  Quo me castus amor duxerat, ingredi.
Virgo tu mihi gratior
  Coeli jam dederas limina tangere,
Cum terrae piguit moram
  Ferre, et mobilium taedia munerum.
At nunc qui solitus prece
  Me pulsare puer, et dare munera,
Et thus Assyrium urere,
  Cervicemque meam cingere floribus,
Dira ipsum tenuat lues,
  Quae multos rabido perdidit halitu,
Altos nil metuens lares,
  Et vires, juvenum, et spicula militum
Languet, membraque livida
  Horrescunt macie: vix tenuis tenet
Exuccos animos cutis,
  Eructatque gravi cum gemitu jecur
Disruptum, extaque pallida.
  Haec ut Loisides aethere in arduo

Tendens lilia dextera
Dixit, corda movens Virginis oculo,
Artus deserit avolans
Tabes, et vacuo vita redit sinu.
Quis nunc immemorem putet
Pubis Loisidem, et sollicitum minus?

IN LUXUM: D. ALOYSIUS SAPIENTER IN HABITU ABNORMIS

ODE XXIII.

Non si trecenis ora coloribus
Linis, et auro tinxeris undique
Artus, odorataque crines
Compositos, humerosque nardo
Sparges: venustas et species venit,
Negata, quam non impiger artifex
Finget laborando, nec acri
Ingenio studiosa formae
Gignit juventus. Quid tibi myrrheus
Liquor, quid ostrum gemmaque proderit
Sabea, si deformat ora,
Atque latus male sanus ardor?
Fingenda rectis pectora moribus;
Stipanda clathris. Fulseris optime
Ni mens aberret, discrepetque
Æthereo tua vita ritu.

Haeres cachinnos, et veritus jocos
Leves sodalis? aspice principum
Genus, juventae grande lumen
Loisiden, columenque terrae.
Fertur paratas ut stipulas leves
Odisse vestes, nec movet ordinum
Coetus sequentum, nec paternum
Jussus ad arbitrium penates
Subire regum, sordida pallio
Mutat recenti lintea, creditus
Sic verna, carpentis regendis
Debitus, aggeribusque campum
Sepire. Testis urbs caput Insubrum,
Quae lata vidit per fora desidl
Errare asello, perque turmas
Ire vagum, comitumque lusus
Ridere; mirum quod fuit omnibus,
Ut gentis haeres Castilioniae
Oblitus aetatis, domusque
Agmen amet sociare vulgi.
Virtus, juventus, nescia sordidae
Labis paratis fulget honoribus,
Spernitque inauratas coronas,
Neve suos patitur colores
Perire inani lege Cupidinis.
Virtute castum si bene compseris
Pectus, nec Indorum lapilli,
Nec deerunt Perusae texta.

VIRGINUM GLORIA: EA VIRTUTE EXCELLENS D. ALOYSIUS NULLAM SIBI NON LAUDEM JURE ARROGAT.

ODE XXIV.

Vides ut altum tollere verticem
Gaudet, comantes et Super ilices
Se jactat extendens per auras,
Caeruleos ciparissus artus,
Quam non nivales attenuant dies
Geluque adurit, nec nimio leves
Calore squalentes paternum
Decidnae viduare truncum,
Frondes laborant: Scilicet integram
Non angit haerens vitis, et ebibit
Marita succos, et vagantes
Palmitibus sinuosa ramos:
Amplexa cogit: liber ad arduas
Te attollis arces et nitor illinit
Late coruscans ora, celebs
Faemineo modo fortis andes
Carere nodo; non calor atterit
Urens medullas; pectoris integrum
Stat robur; effusasque rides
Usque nives pluviosque rores.
Adisque, virtus quo rapit arduas
Solutus oras, sollicitus minus
Quid uxor inesset vagantem;
Quid Soboles famulique poscant.

Vincendus ardor, mobilis ignea
Aetatis arcta lege licentia
Tenenda, si quando remordent
Illecebrae jecur aestuosum.
Credenda caelo pectora, te fides
Vocata Divum non stabilem Satis
Firmat reformidatum et Orci
Impavidus superabis astum.
Hoc te volentem Loisides monet,
Dum pronus ultro devovet integrum
Pectus per aras; at rosarum
Munera floriferosque fasces
Puella praebet quo niteant pedes,
Et ora magnae lucida Virginis,
Datoque gaudet, et Severa
Officium grave lege firmat.
Sic corda Sacris debita amoribus
Non alta tentant spicula, quae manu
Licentiosa saepe pubi
Perniciem meditata mittit.
Ubique Cypris: non oculus levis
Spectans fatigat, non terit habitus
Intus laborantem; rubentes
Ut tulipae Euboicos per hortos
Rosaeque rident quas vigil aggere
Munit colonus, nec pede proterit
Ingressa vulpes, nec protervo
Ore Lupus Sonipesque vertit!
Talis per urbes Minciadus puer
Affulsit, aut qua florea labitur
Arnus per arva, quave flavus
Hebrus agit Sinuosus undas!

Cessat voluntas et placet arbiter
Thori cupido? Te macies statim
Perurit, et flavus capillus,
Et nitidi decus oris abstat:

ANIMUS NEC CONSTARE NEC SAPIENTIAE STUDERE POTEST, NISI SENSIBUS MODERETUR. D. ALOYSII EA SUMMA LAUS.

ODE XXV.

Tenere certo noverit ordine
Artus juventus, et faciles regat
Sensus moveri, et destinatum
Carpat iter fugiente penna,
Licentiosi seu trepidant pedes
Errare, menti dextraque dissidens,
Aurisque dilabatur, acri
Vincla habeant bene juncta nodo.
Plerumque circum plurima mobiles
Quaerunt ocelli, his sedulus ostia
Opponat, obstructumque caram
Eripiat penetrale lucem.
Secura ab alto tum Sapientia
Spectans Olympo pectora, labitur.
Subitque inaccessum susurris
Ingenium, levibusque nugis.
Hac arte coeli credita munera
Custodiebat Loysides, sinum
Non splendor auri, non venusta
Unquam adiit species, nitorque

Camporum, et aer; ceu vigilum canum
Opes, et altas excubiae domos
Regum, catenatique postes,
Atque acies clypeata servant:
Sic lege multo lumine fervidam
Certa pupillam Loysides regit
Quam nec per aulam magna regum
Ora valent, neque vota matris
Perrumpere olim, quo videat semel
Natus parentem: dicitur imulam
Frontem, verecundumque coram
Torvus humi posuisse vultum,
Ceu si videret Gorgona viperis
Desaevientem vel peteret genas
Miles sagittis, aut paterna
Caede domum aspiceret cruentam.
Ohe! Joannes, quid bibulo tenes
Quaecumque prestant lumine, seu coma
Affulget, haeres, seu decoras
Vultus adest inhias sequendo?
Insane nescis servitio caput
Quanto fatigas: te miser inficis
Volens veneno: mox daturam
Exitium bibis ore tabem.

ODE XXVI.

Abuntat humor quo Stabiae fluunt,
Nec usta ponat lavarines aquas,
Si quando vel tussis fadiget
Saeva latus, stomachusque langueat
Quandoque venas sollicitat dapes
Incocta: nec si frigore constitit
Cutis vaporato, laberent
Arte aditus operire panno.
Me si volentem Palladc tinxerit
Sacra sacerdos, pendula qua viget
Ad hosta lampas Exquilina
Loyidis, sanies, maloque
Siccatur humor; testis ab ultima
Ora, retusus qua padus obstrepit
Non gente clarus, sed benigno
Munere nunc Lodoicis altra
Notus Britannos incola rustici
Senex Tirani: dicitur integer
Trunco relicto quo labantes
Ante pedes, dubiosque gressus
Firmabat aeger longum iter artubus
Trivisse rectis, at semel illitum
Sensit liquorem, nec lacerti
Impediunt sanie tumentes.
Quod si medentum more potentius,
Omnique virtus caelica poculo
Resolvit aegrum, perque venas
Vita viget medicante Divo,

Cur ora succis inficiam acribus,
Soevo et tumultu viscera misceam,
Seu sulphuratas ponat undas,
Seu calidos medicus liquores?

GLORIAE CONTEMPTUS: D. ALOISIUS ID MIRE PRAESTITIT.

ODE XXVII.

Æquid querelis difficilis puer
Incendis auras, et prece devoves,
Si forte quaesito per artes
Flore caret caput, ut paternos
Nivalis agros grandine verberat
Dies, ademptas atque aliis opes
Fortuna transmittit, gravisque
Membra premit tenuata languor?
Non si capaci condis in horreo
Siticulosas quae legit Appulus
Metens per oras, aut fugantem
Fulmineis acies sagittis
Scripto colentum marmore civicus
Aeternet ardor, famaque ad ultimas
Porrecta gentes, expeditum
Laeta dies animum valebit
Lenire curis: si vacuum subit
Sinum beata sede ruens Deus,
Inops abundas: et potentum
Sorte viges potiore regum.

Dux te paventem si placet avium
Mantous heros hic regit. Aspicin
Quanto renident tecta flore ?
Quam nitidi micuere crines ?
Atqui penates transfuga regios
Mutat recessu qui riget aspero
Cultu ; nec insanum colentum
Murmur amat, studiumque vulgi.
Fortis vocantem qua libet Aethera
Sequi, coronam grande potentium
Insigne cum scéptro et micante
Quadriugo, melioris haeres
Honoris odit ; non refugit brevi
Jacere strato ; si tenues, placent
Dapes ; flagelli gratus usus :
Dulce latus tenuare fuste.
Tuo protervi munere vincimur
Aeterne fulgor : ut semel igneas
Tendis sagittas atque amata
Corda petis jaculator arcu,
Dulci calescunt non sine gaudio
Furore mentes, tollimur ardui,
Urbisque pertaesi ; ocique,
Ad superum rapiemur arces.

EPODON

LIBER

IN B. ALPHONSUM RODERICIUM

ODE I.

Ne forte credas aruisse rivulum,
Qui fonte manat turgido,
Qua perforata quondam acerbo vulnere
Patuere Jesu pectora,
Quo pota diro exsucca viru in aurea
Rediere flores saecula,
Erneste; turget et scatente dissilit
Hinc inde limpha garrulus;
Suis iniqua quamvis dudum commodis
Insana gens mortalium,
Oh quanta terris compararet nescia
Damna, allaboret aggere
Terraque dulces impedire aspergine
Scaturientis alvei;
Et admovere suadet ora flumini
Exucca, quo limosior
Non uda sit propinqua tellus Anxuri,
Palus nec ima Manium.
Hinc potus heros, quo se jactat assecla
Redux cohors Loyolidum:
Jam grande nomen, sed tenebris occulit
Longingua tellos abditum:

Alphonsus ille : Virtus summis proxima ;
Sed fama par minoribus.
Quaeris quid artis, aut quid huic scientiae,
Quae vis virorum est grandium ?
Non haec, amice, non haec clarant nomina ;
Gradus sed hic ad ardua,
Si quis, quod est titulorum, aut ordinis ;
Opumque spernit conscius,
Ut quo vocarat ante virtus Numinis
Animo sequatur libero :
Placens et uxor, et supellex splendida ;
Prolesque patri haud degener
Erant et huic, et aede in alta commoda
Honore vita et poculis ;
Haec ille nil putare novit, omnia et
Heredi habenda tradere.
Hunc nos homuncionem et haud maximum
Heroas inter dicimus,
Obducta quod videmus terga sirmate,
Patique brumam frigidam,
Aut inter imos vernas atriarium
Servare clave januam ?
Atqui supernae si qua vis sententiae
Deo ille magnus Judice ;
Quam nos labore vix paramus improbo
Opem Minervae, et munera,
Se praebet ultro homuncioni ad Januam,
Fovetque pascens pectora :
Qualis tumentes imber arces montium
Linquit profunda et saltuum
Hinc inde manans inquietus appetit :
Alphonsus alta siderum

Arcana condit (Pectori negabilis
Modo institor sub pectore ;
Mutata sic coelesti merce splendida
Reparantur illi munera.
Quid tu per ignes siderum dic, Claveri,
Quid cum Magistrum vernulam
Audax adire, quae negarat pluribus
Vigilata noctes pagina,
Scrutatus ora janitoris sedule,
Profunda rerum noveras ;
At nos potentem nuper Orci, et acriter
Insanientis sensimus
Heroa tabis : qualis olim squalidae
Aderat parenti populum
Raptum dolenti ; aut dissidenti civicis
Laturus Urbi motibus
Levamen, et rigente brumis perditis
Altam ad Pyrenem frugibus.
Tantamne Coelo nos licebit copiam
Sperare, si quid spernimus ?
Spernamus ; et nec aedis nos argenteum
Lacunar, aut aes splendidum
Teneant aventes, quin amica Principis
Optare nullus lumina
Nos tentet ardor, aut Clientum munera ;
Aut ordines faventium ;
Cum vel per Urbem raeda vectat divites ;
Vel commovemus pectora,
Vi vocis intonata in aede Numinis
Caelestis in spem gratiae.

ODE II.

Tellure quantum summa distant sidera
Imoque tellus aequore ;
Quantum inter Indos et Britannos ultimos
Iter est et orbem dividit ,
Tantum recedant usque nostris aedibus
Qui nocte nasi personant.
Quid evenire tristius mortalibus,
Vitae quid unquam durius
Fiet , diurnis languidae laboribus ?
Hoc munus est caelestium.
Membris id aegris et solutis artubus
Dederunt miserti gentium ,
Nocte ut profunda cum tenebris occupat ,
Emissa nox late polos
Voces quiescant omnium mortalium
Ferae nec ipsae rugiant,
Nec audiatur curruum rotantium
Saevus nec armorum sonus ,
Ergo quiete comprimuntur lumina
Mentesque defessae tacent.
At inter umbras unus et silentia
Nasus negat quiescere :
Ingrata solis neminum benignitas
Et dona legum naribus !
O pestis orbis , omnium et terrimum
Malum , quod ipsae manium
Odere flammis torridae voragines ,
Et lustra grata belluis.

Quid si per alta tecta dormientium
Ubique nasi perstrepant ?
Somnus fugatur et carebunt corpora
Quiete cunctis commoda.
Ergo relinquet languidus mapalia
Pastor, nec agros vomere
Scindent coloni ; quin vacabit litibus
Forum, nec urbes institor
Negotiosus circuibit, civibus
Merces daturus utiles.
Nonne aut lapillis obstruendi scrupeis
Aut dissecandi cuspide
Qui nocte stertunt nasi, et aegros excitant
Abiguntque caro stramine ?
Quin pro turundis et polenta tertili,
Nasos popinae praebeant ;
Ebullientes quos patellae molliant
Aut stipes asset ferrea ?
At vos severi judices nocentibus,
Quicunque jura ponitis,
Quid attinet flagella, funes, compedes
Parare torquendis malis,
Si possit unus nocte qui horrendum sonet
Afferre nasus funera ?

AD FRANCISCUM DE FARGO AVERS: ECC. CANONICUM, CUM IN QUADAM EPISTOLA AD AUCTOREM SCRIPSISSET LA MIA MORTE NON LONTANA:

ODE III.

Quae fata quem, Francisce, vitae terminum
  Instare dixisti tuae?
Fati ne tela sordis expers sentiet?
  Carus perit caelestibus?
Quem membra quae voluptas et licentia
  Alunt, dapesque, et otia,
Libidinosa faece sordidum premunt,
  Huic manium aedes debita:
Non pectus illi quod calescat numine?
  Instructa non mens artibus;
Natura si quid dat benigna, inertia,
  Palude discrepans parum,
Voluptuosa perdit obductus lue:
  Vel ipsa tellus oderit;
Negatque coelum quo calescat lumina.
  Ergo soluto corpore,
Æquum est per auras impium vanescere;
  Humo et silere conditum.
Virtute te nitentem et innocentia
  Olim camaena surpuit;
Deditque volgo dissidentem in edito
  Sedere montis culmine:
Lecta lycaei dein vigentem copia
  Benigna vis coelestium
Mortalibus non ante notis forruit
  Mentem fovendo flammulis.

Ergo Senectus nulla te diffingere,
Si vita mens, si spiritus
Totus calescens uno coelo veseeris,
Valebit: anne hinc aufugis
Oculosque fallis, ora et hic morantium?
Ergo suum superstites
Obblivioso dediti silentio,
Patrem haud loquntur posteri?
An non monebit multa semper pagina,
Dictante quae te deviam
Mentem juventae per salebras expedit?
Ingrata sed si caeteris
Hinc te micantem deterunt silentia,
Meo vigentem pectore . . . .
Ah. ah. quid ultra humana sublato excidit?
Abeunte te morabimur?
Quae vita tunc te rapto quae mi tempora?
Ergo perire te metus
Nullus mihi: meo aut latebis pectore;
Aut una ad astra tollimur.

IN NUPTIS JOSEPHI CARELLI ET LUCRETIAE DEL PEZZO, E DUCIBUS CAJANIELLO

ODE IV.

Jungenda queis coire mos est pectora
Missa e Cythero vincula,
Facesque et arcus cum pharetra et epicutis,
Amica noptis munera,

Urenda flammis, obruenda fluctibus
Tradamus aequi legibus,
Supplere quid caducum faetura genus
Mortale conamur nova?
Inauspicata scntium propagine
Culpae explicamus semina?
Si faeda cuncta deterit praeposlera
Pubes calens libidine:
Avara si potentum sancta dexlera
Vertit cruentans limina:
Si luctuosis non vacant urbes modis
Grassante ubique injuria;
Praestat relinqui civitates et domos
Vacare habendas belluis:
Ingrata si tam vita nunc mortalibus,
Quae tanta, stulti, insania,
Vita potiri? quae voluptas gignere?
Quod si sit haec caelestium
Mens et regentis cuncta notus nominis,
Terras ut imas occupet,
Deductum ab illa germen hoc origine
Late et vagetur pullulans,
Intaminata si qua sint et integra
Coelo fovente pectora;
Vinclis ligentur illa nuptialibus,
Novata quo dein gaudeat
Ætas senescens; aegris et mortalibus
Sit dulce rursus vivere.
Quo rapta mens vagatur? en justis Deus
Votis benignus annuit.
Pares amanes; haud imparem et sanguine
Salvete sponsi: sordida

Non vos voluptas invido e gurgustio;
Avara non mens nniit:
Quae pura finxit genere e claro pectora
Amica virtus fortibus,
Haec dissidentes jam protervis moribus
Junxit deditque conjuges.
Iniqua sed ne vita tanto muneri
Spes cesset aequas invidens:
Dudum paternos te, Josephe, spiritus
Labefacta siren flagitat,
Per te parentum propagentur lumina
Spes omnium est Lucretia,
Contingat haec thoro e faecundo carpere,
Eruntque gratae nuptiae.

IN NEBULAS BENEVENTANAS.

ODE V.

Vacet nigranti nube rupes obsita;
Olim piandis manibus,
Ventosa queis inani laude pectora
Calent: tumentque vertice.
Testante vate, qui per trina devios
Ivit silentum limina.
Jam jam repertum tristius piaculum:
Parata jam superbiae
Par poena: qua profundis clausa saltibus
Hyrpina stat Milesia

Collectus altis hinc, et inde montibus
Aquosus insedit vapor,
Quem non furentes japiges ab Adria
Nec dissipare jam valet
Adsuetus alta volvere Auster aequóra.
Vacare jam Coelum negas.
Quamvis vel ipsa Abellae nutent culmina
Ruantque vulsae tiliae:
Jam dissoluta summa saxa montium
Errare per sudum putes.
Ruisse vel de summo Olympi vertice
Attrita motu sidera.
Quin enatare nigra stagna thaenari,
Tumens ut hiscit vesvius,
Candente cum subtexit astra pulvere,
Vicina credunt oppida:
Omnesque qui Taburni saltant culmina
Vidisse mane, concavam
Hiasse vallem, et rupto ab ore fumidos
Ivisse ad astra turbines.
Fumosa quid miraris et ferrugine
Ora inquinata civium?
Et incolarum vultus usque squallidos
Vestesque musco sordidas:
Aquosa si, quemadmodum pisces solent,
Volvuntur inter aequora?
At haec merentes jure poena conficit,
Si bella semper pectore
Ferociori cogitant et vulnera.
Si non Latinae cuspides
Potuere; nec concussa tellus frangere,
Nimbosus aer molliat.

IN MURES QUI CEDRINA MALA IN DOMESTICO VIRIDARIO RODUNT.

ODE VI.

Divino ; non hoc foeta putri sanguine
Genus ferinum murium
Mustela coecis sub cavernis edidit,
Ruentis aut muri cavo.
Prolem Megera nigra qua styx perfurit
Plutone praegnans conjuge
Enixa pestem est ; mox futuram pluribus
Immisit atro e carcere.
Quod dente telam roserit teterrimo
Quali lacunar ligneum
Tectum saeculi est ; debitum coelestibus
Piisque votis supplicum,
Communis iste quippe mos est murium ;
Haec omnium rapacium
Vis belluarum, quas cruenta inanium
Fames fatigat viscerum.
Sed bruta quaevis saeva, quanquam et barbara
Virtus coercet coelica.
Et quae potestas sacra procurantibus
Auctore Christo tradita.
Namque ut timendum rite carmen intonat
Arcana quod fert pagina,
Servata sub cortina, nulli pervia
Trabea sacerdos conditus.
Infesta campis illico florentibus
Fugit locusta, lineae.

Linguunt aristas, et rubigo solvitur
Qua laeta messis uritur.
Quin ipse postus mitigatus, horridas
Componit undas, deviis
Parcens carinis, et coacta fortior
Dissolvit eurus nubila.
His imprecatus quicquid ira Numinis
In facta saeva concipit,
Sacra Sacerdos ter, quaterque aspergine
Quicquid cubilis abditi,
Tectique vel ruentis hic est parietis,
Qua feriantur, diluit.
At execrati fratres nil perterriti
Grassantur insolentius;
Furentiores irruunt in hortulum,
Tecti tenebris clanculum
Et quae benignae poma praebent arbores
Solamen aegrotantibus,
Brumale dum fatigat frigus, viscera
Glubunt, cavant medullitus.
Unum hoc severus jam Galenus annuit
Crudo mihi sub vespere;
Haec coena fesso, tota spes haec languido;
Impune mus haec eripit.
Ohe in culinae, et omnium custodiam
Altae ciborum vos feles
Appello, quid hic statis, an vis ingeni
Infesta semper muribus
Hebescit, execrum nom esca est taedio?
An orcus ipse terruit?
At non libello condito, nec carmine
Agam, nec arcana prece

Quicquid parare fas armorum, et viriam
Rutra, harpagones, pertica,
Quin et favillas, saxa, glandes aeneas,
Amenta, crates, retia
Et sulphuratos bombas, et lopitrua,
Haec haec rapinae congeram
Uitor; quietis nocte nil, nil otii
Capiant diebus plurimis,
Donec ruinam tantam ab hortulo queam
Pomisque gratis pellere.
Verum quid amens ista jacto, mea mihi
Qui sic resistunt Numini
Cedent? olentis hi culinae, et pinguium
Conviviorum vindices,
Voracioris atque ventris additi
Coelo: ergo poenam Naminis
Laesis flagello membris, et jejunio
Longo expiandam censeo.

UT AD BONARM ARTIUM STUDIUM JUVENTUTEM HORTETUR, AUCTOR EOS INSECTATUR, QUI INEPTIS LIBELLIS ANIMUM INTENDUNT.

ODE VII.

Procul Picento semper, et Messapiis
Eant propinquis nobiles
Cantus Camoenae, quos Apollo vatibus
Inspirat urens pectora.
Si qui cicutam pastor ad Magalia
Inflet, vel inter uberes

Glebas colonus, ut rapaces arceat
Quae culta carpunt ungulis
Aves, amatae quaeque pecus Virgini
Mittenda scripsit carmina
Canat vel ipsis bobus, atque capreis
Ridendus; hi paludibus
Egressi ad Irni lene flumen civibus
Grati futuri concinant.
Vectum remotis huc libellum terminis
Aut ex propinquis sedibus
Ductum, coaxant queis olentes maevii
Exscita pubes deperit,
Senesque cum magistris, et parentibus
Legenda dant minoribus
Haec, ut recondant ima sub praecordia
Antiqua cum recentibus.
Si qua politi concinant, fastidiunt.
Atqui soluta, inania,
Susdeque per praerupta mentes deviae
Nullo feruntur ordine
Absurda rerum, non loquenda vatibus.
Quid hiscis? aures occupat
Mensura: mentem vellicant sonantia.
Lascivientis ingeni
Laesura pectus, et medullas spicula.
Quod haec britannum praeferunt
Nomen, quod Ebri parturivit accola
Quod misit jster, obstupes.
Quid arva civis omni frugum copia
Tenes! quid undas fluminum
Leni susurro per vigentes herbulas
Bibis fluentes uberes,

Floresque quid benignos carpis dextera ?
Jam cede : pingui pectore
Indigna tellus, tam polita ; lumina
Frustra Picentino calent
Hic sole : cœcas i cavernas bistonum
Accede : vel perennibus
Brumis rigentes lapponas, vel torridis
Ustos molucas solibus ;
Beata jure culta gentes occupent,
Acuta queis cum finxerint
Natura, longi vel labores pectora
Odere acerbi pinguia.

IN INEPTAS EPHEMERIDES

ODE VIII.

Gravi popinas, lustra lege clauditis
Sancti magistri munerum ;
Et officinas queis labores posteris
Apollinares tradimus,
Patere ubique liberas conceditis ?
Vos cura fallit insolens :
Videtis ardor quantos urget pectora ?
Quicquid loquendum suppetit
Seu vina pectus urant et convivia ;
Seu vana tangunt somnia
Mentem aut vagantes nocte per domos strigeæ ;
Id æstuans audacia

Curis omissis quas vel illi publica
Paterna vel lex credidit,
Adultus omnis civis, atque impuberes
Statim offerunt librariis,
Notis ut exarata cum Neapoli
Mirentur omnes Itali.
Furore coeco vos putem an cupidine
Aut impotenti insania
Duci? quid his opus vobis est artibus,
Si inopia est pecuniae
Opes parare, quando nomen perditor?
At non videtis impii
Qua peste mentes nostra corda perditis?
Qua clade cuncta sternitis?
Nihil ne nobis creditis fastidia
Nocere longa et taedia?
Aut pestis est molestior fastidio,
Latura morbum et funera?
Aut pejus orbi nascitur fastidium
Libello inepto et sordido,
Insanientis vana quo juvenculi
Notis feruntur somnia?
Amabo, si vos forte sic angustia
Saevire compellit rei,
Torquere nil oportet hos innoxios:
Libenter omnes quidlibet,
Ut vita sospes ultro sit praebebimus.
Verum quid haec effutio?
Siticulosus civis ad librarios
Turmatim en adstat undique
Sublimiora quo parentur lumina,
Quae mane fundunt guttura

Foecunda sacro noctu ab astris semine :
  Negatam egeno dexteram
Princeps , avaram cum sacello et flamine
  Capsam libenter Maevio
Quod quinque vel tres sordidas fuligine
  Dedit pagellas , explicant :
Ergo a cloacis quotque sunt praesepia
  Stirpes , ruinas , stercora
Nil amovere oportet : imo a proximis
  Agris , Magalibus , pagis
Semesa mala , cortices , uliginem
  Ferantur ; haec Neapolis
Ambit , liguriet , vorabit , concoquit :
  Magnoque mutabit lucro.

IN AUCTORES HISPANICAE RELIGIOSAE SECESSIONIS

ODE IX.

Preces quod alta Roma sic nos jubet ,
  Verum Thyesteas dabo.
Quicquid marinis imprecatur fluctibus
  Fractus procella navita ;
Quicquid rapaci mane pastor tigridi
  Spectans cruentatum pecus ,
Et austro arista , et tacta vitis grandine
  Haec ame Iberus accipit.
Tellus ne coeli clara semper munera
  Insigne cui nomen dedit

Fides, amore dum impotenti anxius
  Sequta curas fervido
Quicquid moverent jura templi publica
  Studet tueri pectore,
Hanc pastor alteret suos ponidet,
  Desectam avito corpore;
Mutatque nomen, aliter atque nomine
  Dicetur Hebrus perfidus?
Mutate honores ejn Iberi, nomina
  Mutate vos colentium:
Quid turpius quam illos parentes dicere?
  Non hacc ferenda injuria:
Striges, tyrannos, parricidas dicite
  Dignos secari, et vinculis.
Sentitis? anne abacta corda insania
  Coepit, furorque lethifer?
Externa tabes nulla quo vis saevior
  Imo refusa Tartaro
Custode terras destitutas occupat,
  Datura insulta funera.
Quid attinet fecisse vos laboribus
  Olim parentes liberos,
Injuriosa dum Iibyorum compede
  Solvere collum et brachia;
Si servitute vos nunc hostis saevior
  Ferociori comprimit?
Non corda Maures alligavit vinculo.
  Non intulit vim mentibus:
Immunis artis impiae, et tetrrimi
  Erroris expers spiritus
Liber litavit astris, et tyrannidem
  Favore coeli distulit.

Haec corda labes tangit : a Germanico
Venisse nescis littore ?
Te jura Petri te jubet rem spernere.
Quae Roma servat sedulo.
Ergo latentem sub virili imagine
Deum procax fastidies :
Divos figuras exhibentes proteris ;
Negas renasci corpora ;
Non expiabis ritu avito crimina.
Quae te resolvet hostia !
Quae spes salutis, quae manebit gratia ?
Ergo insolenti jurgio
Dissentientes Urbe fratres impios,
Ut quondam Abyron et genus,
Disrupta tellus opprimat voragine,
Dirus sacerdos adprecor.

IN NEAPOLIM QUOD OLIM CUM FRANCISCA
A QUINQUE PLAGIS DURE EGISSET

ODE X.

Ades coruscis purpurata sericis,
Gemmisque multis lucida,
Audesque Divae nunc parentem Virginis
Jactare te Neapolis,
Dum festa sacris instaurantur ritibus ?
Quae tanta te impudentia ;
Quae caeca mentis abstulit vesania ?
I, conde vultus ; abditas

Pete hinc cavernas : tanta laedunt lumina :
Honore dedecus novas.
Si nos pudicae plaudimus, si innoxiae,
Est quod verecundissima
Tuis severa dissidere moribus
Ausa est, tuisque fortior
Non aequa ludis, artibus diu obstitit,
Amica castis unice ;
Si fronde victrix vincta fulget fortium ;
Proterva proles hoc facit,
Quod obseratis auribus silentio
Fraudes nocentum distulit.
Si parva fortes aemulata dicitur
Qui sacra multo vulnere
Ausi tueri, nobilis praeconii
Tu causa, tu lacesseras.
Ornatus ergo prodeat Neapoli
Diocletianus purpura ;
Et pars honorum sit quos dat Januario,
Fas et Neroni ludere
Inter Quirites cum litatur Principi,
Qui sacra ducit agmina :
Et Cipriani laude crescat Commodus,
Et Maximinus Lucii ;
Si dedicatas audet nunc Neapolis
Franciscae ad aras sistere.
An non cachinnis squalidam protervior
Olim premebas ? sordida
Non visa vita cum pedestris frustula
Errabat illa quaeritans ?
Ecquid coisti nunc datura gloriam ?
Tua hic voluptas quaeritur.

Fallor ne an irretorto adhuc stas lumine,
Spernisque vel caelestium
Dignatam honore Principum sententia ;
Et ante ponis carbasa
Ornata queis matrona prodit celsior ?
Ah volve volve verticem :
Una licebit quippe poenitentia
Redimere labem et dedecus.
Qua parva lucent dedicata Virgini
Sacella duris obsita
Accede textis : cumque te proterviae
Damnabis , una vindice
Virtute quae sunt aequa Divae solveris
Contemptae amoris munera;
Placare parva est cura , sanam viderit ;
Et mutua extat gratia.

DIRAE IN VESUVIUM

ODE XI.

Ebullientes si Camoena spiritus
Juvat ministrans carmina ,
Ut quas in imo thoedas ira pectore
Accendit urens eggerat
Ritu in Iycamben vatis olim conciti,
Faces poetae quas potest
Amariores suppetat valentium
Movere rupes carminum.

Jam te Veseve specto ; tu furentibus
Accede diris victima :
Circum tenebris occuperis obsitus ;
Et accolarum lumina
Obscurus hospitumque te petentium
Fugias , caput formidinis :
Te nulla nubes tangat umbram cautibus
Datura aquamque vertici.
Quo temperentur aestus , aut cacumina
Mollita in herbas turgeant :
Hies cavernis usque , et usque rumpere :
Fiasque nigris manibus
Quot Tartarorum deserunt voragines ,
Vastant ut urbes coedibus ,
Horrenda sedes ; teque circum sibilo
Ferociores viperae
Collectae et ursi et agmen omne tigrium
Stridant nigris cubilibus.
Nàm quale monstrum infestius mortalibus
Videre saecla et posteri ?
Tu rura, queis vel tempe nobis Thessala
Haemique cultor invidet,
Absumis igne ; tu per arva volveris
Factus bitumen torridum ;
Et quae benigna suppetit mortalibus
Natura , mordes invidos.
Jam displicent haec grata quondam littora ,
Fugitque campos advena
Quos magna proles sibi voluit quiritium ,
Doletque quod non sint, Padus.
Jam pallet et teterrima ferrugine
Obductus aer Nigrigat ,

Cum sol retexens aureum vicinior
Fingit nitetque mollior,
Bibitque fumum et torridam robiginem
Crateris hospes nobilis;
Et aestuantem inutilis favonius
Afflat levesque ethesiae.
Subside tandem mons; hiansque gurgite
Tellus solutum devoret;
Tuaque corruas ruina et ignibus
Sis praeda queis nos conficis:
Jam non caminus deerit et cuniculus
Bituminosis fluctibus:
Hos praebet Alpes dura, quique pallido
Ripheus alget frigore:
Illic bitumen et vulcanus utilis;
Amica flamma frigidis:
Sat nos favillae quas ministrant sidera,
Natura sat nos vivida
Accendit; aegris parce jam mortalibus:
Quae rura coelum temperat,
Quae stricta frigent quaeque fervent torrida
Haec ignis arva mordeat.

PIETATEM CUM LITTERARUM STUDIIS, ET SCIENTIA CONSISTERE POSSE, D. ALOYSII EXEMPLUM DECLARAT.

ODE XIII.

Quae te, Lucille, quae tenent fastidia?
Quid sic aberras pectore?
Errorne mentis vertit, anne criminum
Poenae, furorque Manium?
Si te Magister, ut jubet mos, excitat
Ut quam Minervam plurimo
Labore mane prompserat custodias,
Haeres, manumque pectori
Fidem adprecaris admovens, coelestium;
Amore ductum Numinis
Cessasse, psallis dum parenti maximae,
Ambisque votis filium,
Oblivione haud exarasse paginam,
Causam esse coelum inscitiae.
Si qui sodalis ordini denario
Praeèst, reposta postulat
Praecepta menti, aut Alvari, aut Gretserii,
Abi, moleste, perfide
Et infrequens, obmurmurans, exterminas,
Repetenda nunc sunt Virgini
Diurna, sancta ut lex jubet, praeconia,
Quae tu protervus negligis;
Audesque, cum Magister artem discutit
Qua dixit olim Tullius,
Oculos movere, qualis excitus qui omine
Raptusque gliscit manibus.

Hac arte decepsisse grandes credulos?
Non sic abibis postmodo.
Te doctor omnium occupat vaferrimus.
Hunc ore curvo haud decipis.
Cessare si tu dicis quod coelestium
Cultor piusque, et innocens,
Piissimus, frequensque cultor coelitum
Aloysius, quo judice . . . . .
Protervus, otiosus, excors, insolens
Diceris, et non integer.
Illi ne abesse studium coeli credimus,
Durumque cor frigescere
Quem non tenebant millium sodalium
Lenes susurri, et munera?
Nec aula circum perstrepens praeconiis,
Currusque civisque obvius,
Quae spernit ultro, dum vocante Numine
Quaerit latebras sedulus,
Ut alloquentem blande adiret Virginem,
Caperetque dona Filii.
Atqui sequentem non recusat Palladem;
Unoque sub tecto manent:
Nec laesus odit Jesus, aut abstat procul,
Quod sint Sorores ludicrae;
Et lusitantem diligebat carmine;
Et cum per alta sidera
Scrutator affectabat per silentia
Late vagari indagine,
Amabat adstans Jesus et laboribus
Aequus ferebat praemia.
Pietasne suadet desidere, an otium?
Mollisque vita, et ludicra?

Taces ; pudorque vultum , Jule dejicit ;
Culpa est ; probat silentium.
Ergo aut libellos , quos juberis devorare ,
Pectusque comples Pallade ,
Aut si laborem sacra causatus fugis ,
Praedico ; multis vapulas.

DIRAE IN SENEM QUI OBSCOENA VERBA CORAM D. ALOYSIO FUNDERE AUSUS EST.

ODE XIII.

Quantum Leonem , qui vigentem vineam
Ingressus olim , floridas
Corrumpit herbas ungue , vertit arbores ,
Colonus odit impiger:
Quantumque inardet pastor aestuosior
Lupum in rapacem , et Tigridem :
Tanto furore ebulliunt praecordia ,
Et bile pectus intumet ;
Teque o Satyrorum maximum, quantum licet,
Diris , senex , nunc insequor ,
Libidinosi more dum capri aestuas ,
Modique nescius , graves
Effundis ignes , et medullas putridas
Purgas protervo murmure.
O , ter cavernis dignus imis , scorpio ,
Mactandus o saxis canis ,
Quid ista fundis verba , quem teterrimo
Petis resorbens gutture ?

Ergone foedas,, evomens libidinem ,
Quod finxit aether aureum ?
Carebit ergo terra per te flosculo ,
Qualem nec arva viderint
Vicina Sarno , nec videbunt Tessala
Postquam recessit Thracia ?
Pallet genarum lenis illa purpura ,
Peritque fulgor luminum !
Ah parce stulte parce generi , et nomini ,
Ignisque habenas contrahe :
Non cernis ut fidelis detestatio
Juvenis protervam comprimit
Mentem , et precaces spiritus ? heu pudor !
Senem coercet pupulus !
Ille insolenti haud aequus ludo deserit,
Numquam reversurus, domum :
Qualisque juncto nares arctat pollice ,
Et ore compresso fugit ,
Si qui mephitim sentit quam putris situ
Exudat expirans palus :
Sic Lodovicum pervicacis consili
Cubiculique poenitet ,
Quod ore tu bicornis inquinas caper,
Facisque Averno proximam ;
Quin te perurit flamma , quin medullitus
Liquescis ut coctum cicer ?

IN EOS QUI VETERUM DOCTRINAM ET SCRIPTA IRRIDENT.

ODE XV.

Quod te per altos multa tentantem sinus
Rerum irrepertarum trahunt
Artes recentes, et labores ardui,
Quicquid vetusta noverit
Aetas et atris in papyris legeris,
Fastidiosus Italе
Cum Gallo, et Angle, et ultima Germania
Rides acute, ut assolet
Laciniosa carbasa et crepundia
Queis olim avorum septimus
Usus; labantis aut ruinas parietis.
Atqui volantis ingeni
Non omnis haesit cursus, et similimis
Mentes aguntur aestibus;
Novasque semper dum vetusta nauseant
Scrutantur artes impigre;
Et summa nondum pertigisse culmina
Rerum magistri clamitant,
Adhuc et imo multa nondum cognita
Scrutanda mundo hebescere.
Quae curiosis oblegunt nepotibus
Exaurienda numina;
Ergo deerrasse, et per umbras invius
Coecutiisse diceris;
Tuisque duras obstitisse passibus
Moles, ut exspes haeseris.

Capsis in imis aede sub teterrima
Teredinum mox pabula
Futura nidis intuentur posteri
Jacere quae nunc illita
Cedro, vel auro tecta servant abdita
Potentiorum scrinia;
Quid tum Minerva quid Camoenae sedulae
Duces volantis ingeni?
Vobis negatis adfuisse lumina
Queis pes piger mortalium
Rerum per umbras expeditus ducitur?
Vulgi placebunt taedia?
Et eruditi quae vomunt fastidia
Cum vestra rident, debita
Dicetis hisce curis et laboribus;
Comisque vestris detrahi
Laurus feretis, quas Apollo intexuit?
Aetatis hinc vim, et temporum;
Nec quod genus mutarunt homines dicitis:
Polire quod quis protulit
Levem esse curam; at arduum negotium
Semota mente extundere.
Quid hoc Minervae jure quod contenditis
Vestrae, negatur caeteris?
Ergo aut Salerno tanta sit nunc gratia,
Quantam tulerunt posteri;
Aut si nocere magnis debet ingenis
Aetas vetusta, ut occidant,
Mox oreus idem eadem sub voragine
Cum Romualdo, et Erato
Columnium tenebit et Santorium.

NEAPOLIS SE PURGAT.

ODE XVI.

In virulento sanciatos Vulnere
Saevire Thracumest : barbaro
Quae te Leaena more , quis finxit lupus ?
Saevis in agnum bellua.
Lenire dulci debuisti carmine
Indigna perpessum caput.
Et pars doloris esse , si te incommodi
Et poeniteret funeris.
Quam vel resecto amare vellem pectore ,
Odisse dicor foeminam ?
Non profui maligna tabe sauciae ;
At profuissent Appuli
Durique Boii vel Genauni loridi ,
Alpesque strictae frigore.
Cave , cave ne quae in me confers crimina
Superi tibi apponant reo :
Quid aura prodest blanda , si mos perfidus ?
Fatum lacessunt crimina ;
Vetamus esse nos benignos caelites ;
Et quae dederunt tollere
Audaciores saepe facti munere ;
Ipsisque pugnantes datis.
Ergo vel Appulos vel ultimos Ænotrios
Petas , sequor te lacrymis.

Si te receptent illa rura et aequora
Dignum nivali Caucaso :
Me recreabis certe : quid Neapoli
Cum Tigride, et Leonibus ?